


CONSTITVTIONES.

Inſignis Collegij Sancti Illefonſi, ac per inde totius almæ Complutenſis Academiæ. Ab Illuſtriſſ. Ac reuerendiſſ. Domino. F. Franciſco Ximenio Cardinali ſanctæ Balbinæ, & Archiepiſcopo Toletano eiuſdem Collegij, & Academiæ vnico fundatore, olim ſancitæ.

COMPLVTI

Excudebat Andreas ab Angulo.

ADMODVM REVERENDIS AC MAGNIFICIS VIRIS.D.RECTORI ET Collegis inſignis Collegij Diui Illefonſi,Scholæ Complutenſis moderatoribus , Andreas Angulo Typographus.

S. P. D.

CVM PRIMVM TYPOGAPHIA HĘC COM
plutēſis ad me ex paterna hęreditate peruenit, nihil prius
habui,quàm vt vobis,Patres ampliſſ. quaqua poſſem ra-
tione ſignificarem,quantum veſtram potius hanc eſſe no
ſtram officinam putarem,quam quippiam in ea eſſe cre-
derē,quod noſtrū meritò exiſtimarē. Quod autē optanti
mihi vix euenire poſſe vnquam ſperaſſem , id veſtra benignitas patres ob
tu lit cumulatiſsime. Leges veſtras antiquas quæ Academiæ huius ſanctio
nes,quibus ſanctiſsime gubernatur,mihi excudendas tradidiſtis:quo vno
facto planè declaraſtis , id vos de me meoq; officio & in veſtrum obſequiū
propenſione ſentire, quòd ego apud vos in primis mallem eſſe teſtatū. Vos
cum totam Reip.huius literariæ ſanctiſsimam adminiſtrationem per me
in manus omnium venire voluiſtis,me vnum eum eſſe indicaſtis,quem vo
bis ſemper obnoxiū aut eſſe iam,aut denuo facere velletis:ego vero de meo
ſtudio obſeruantia & veneratione erga vos ea deinceps polliceor , quę de
homine multis de cauſis vobis, Patres,addicto , & plane veſtro ſperare
ſemper & poſsitis & debeatis. Valete Patres grauiſſ.ex Offi-
cina noſtra. X I I. Octob. Anno Domini.

M. D. LX.

INDEX CONSTITVTIONVM QVĘ IN HOC VOLVMINE continentur.

DE titulo, & innocatione collegij, & de numero collegialium, & capellanorum.fo. 1
De Rectore, & cõſiliarijs collegij.fo. 2
De forma eligẽdi Rectore, et cõſiliarios. 2
De tẽpore rectoris, & cõſiliariatus.fo. 3
De abſentia Rectoris, & conſiliariorum, & de modo eligendi vicerectorem, & viceconſiliarios.fo. 3
De vacatione præbendarum, & de electione collegialium.fo. 4.
De qualitate eligendorũ ad præbendas, & de curſibus per eos neceſſario faciendis, & de tempore quo permanebunt in collegio. 5
De habitu, & honeſtate collegialium, & de euitandis quibuſdam muſicis inſtrumentis, & ludis.fo. 6
De electione capellanorum, & eorum officio, & qualitate, & quanto tẽpore permanebunt in collegio.fo. 7
De abſentia collegialiũ, & capellanorũ. 7
De mißione præbẽdatorũ extra collegiũ. 8
De electione familiarium.fo. 9
De portioniſtis neceſſario in collegio recipiendis.fo. 9
De cameriſtis, & ſocijs cameriſtarũ ac tertio de in pauperibus eligendes.fo. 10
De horis prãdij, et cœnæ, de modo ſeruiendi ad mẽſam, et lectione ibidẽ faciẽda. 11
De ordine ſedendi ad menſam, & portionibus diſtribuendis.fo. 12
De electione camerarum, & ꝙ ſinguli collegialium ſoli habitent in cellis.fo. 13
De clauſura domus, et quod nemini liceat extra collegium pernoctare.fo. 13
De exceſsibus Rectoris, & conſiliariorum atq; collegialium capellanorum, & aliorum officialium.fo. 14
De pœnis contra facientes vel ſurripientis aliquid de bonis collegij.fo. 14
De clauſtro ordinario.fo. 14
De libraria collegij.fo. 15
De archiuis collegij, & depoſitis non recipiendis.fo. 15
De libris poſſeßionum, & reddituũ.fo. 15
De bonis collegij non alienandis nec mutãdis, & ædificationibus, et reparationibus nouiter faciendis.fo. 16
De theſaurario, & alijs officialibus collegij.fo. 16
De perſonis deputandis per ſingulos annos ad rationes exigendas fo. 18
De officio diuino in capella perſoluẽdo, & quibus tẽporibus confiteri, & euchariſtiam ſummere teneantur. 19
De ſuffragijs pro anima ipſius fundatoris, & aliorũ defunctorũ præſtãdis.fo. 21
De proceßionibus, & ſermonibus, certis diebus ſolẽnibus faciendis.fo. 21
De infirmis curandis.fo. 22
De tempore peſtis.fo. 23
De collegis pauperum. 23
De religioſis in monaſterio Collegij recipiendis.fo. 24
De electione regentiũ, & lectorũ.fo. 26
De ſalarijs regentium, & lectorũ.fo. 29
De abſentiis regentiũ, & lectorum fo. 29

De lecturis, & exercitamentis ad quæ tenentur regentes artium. fo. 30
De curſibus & examine bacchalariandorum in artibus. fo. 31
De curſibus, & examine licentiandorum in artibus. fo. 31
De licentijs Artium. fo. 32
De gradu magiſterij Artium. fo. 33
De cathedris theologiæ, & tẽpore quo durabit eorum regentia. fo. 34
De exercitamentis theologicis, & diſputationũ frequentia in eadẽ facultate. fo. 34
De curſibus bacchalariorũ in theologia. 35
De curſibus licẽtiãdorũ in theologia. f. 36
De licentijs theologorum. fo. 37
De doctoratu theologico. fo. 37
De cathedris medicinę, et earũ ſalario. 38
De curſibus Bacchalariorum, & licenciãdorum in medicina. fo. 38
De examine licentiandorũ, & gradu licẽtiæ, & doctoratus in medicina. fo. 39
De cathedris iuris canonici, & earum ſalario. fo. 39
De gradu bacchalariatus in iure canonico. fo. 40
De gradu licentiæ in iure canonico. fo. 41
De gradu doctoratus in iure canonico. 42
De his qui volunt gradum alibi ſuſceptum iterũ ſibi conferri, & admittendis curſibus alibi factis. fo. 42
De lectoribus in grammatica, & rhetorica & eorũ ſalario. fo. 43
De licentia erigendi aliquas cathedras. 43
De Notario ſiue Tabellione vniuerſitatis. fo. 44
De vedellis. fo. 44
De perſonis vniuerſitatis nõ conuenientes niſi coram ſuo proprio iudice, & de pænis eorum qui cõtrauenerint. fo. 44
Quòd nemini intra ambitum collegij aliò quàm latinó ſermone vti liceat. fo. 45
De viſitatione collegij. fo. 46
De obediẽtia Rectori præſtanda ab omnibus de vniuerſitate, & à quo tẽpore incipient gaudere priuilegis. fo. 47
De numero, & electione conſiliariorũ vniuerſitatis, & ipſorũ officio. fo. 47
De honeſtate pſonarũ de vniuerſitate. 48
De forma iuramẽti regẽtiũ, & lectorũ. 48
De forma iuramẽti capellanorum, & collegialium fo. 49
De forma iuramenti portioniſtarũ, & cameriſtarũ familiariũ, & ſociorũ. fo. 49
De forma iuramenti ſcholarium, & aliorum de vniuerſitate cuiuſcunq; gradus exiſtant. fo. 49
De prectoribus collegij, et vniuerſitatis. 50
De volumine conſtitutionũ, & tẽpore quo ad menſam ſunt legendæ. fo. 51

¶INDEX CONSTITVTIONUM Collegiorum pauperum.

De electione, & qualitate eligẽdorũ. fo. 52
De iure, & modo præſentandi ad aliquas præbendas. fo. 53
De alimentis, & ſtipendio capellanorum, & ſcholarium. fo. 53
De tempore quo ſcholares pauperes in collegio permanebunt. fo. 55
De officio capellanorum. fo. 56
De obedientia Rectori præſtanda, & habitu collegialium pauperum. fo. 56
De forma iuramenti capellanorũ, & ſcholarium pauperum. 56

¶FINIS.

INSIGNIS COLLEGII SANCTI ILLEFONSI, AC PERINDE totius almę Complutenſis Academiæ conſtitutiones.

AB ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. Domino F. Franciſco Ximenio Cardinali ſanctæ Balbinæ & Archiepiſcopo Toletano eiuſdem Collegij & Academiæ fundatore olim ſancita.

IN DEI NOMINE AMEN. Nouerint vniuerſi & ſinguli præſentes literas inſpecturi, quod anno à natiuitate domini milleſimo quingenteſimo decimo, in ditione tertia decima, die vero vigeſima ſecunda menſis Ianuarij, Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & domini noſtri D. Iulij diuina prouidentia Papæ ſecundi anno ſeptimo. In oppido de Alcala de Henares Toletañ. Dioeceſis, in domibus ſolitæ habitationis illuſtris, ac Reuerẽdiſſimi in Chriſto patris, & domini D. F. Franciſci Ximenez de Ciſneros ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli Sanctæ Balbinæ preſ byteri Cardinalis Hiſpaniæ nũcupati, ſanctæq; Toletañ. Eccleſiæ Archiepiſcopi, Hiſpaniarum Primatis, ac regnorum Caſtellę maioris Cancellarij, &c. In mei Notarij publici teſtiumq; infra ſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia. Præfatus Illuſtris ac Reuerendiſſimus dominus Cardinalis, autoritate apoſtolica ſibi per ſanctiſsimum dominum noſtrum cõceſſa prout in litteris apoſtolicis inde confectis plenius cõtinetur, ſtatuit, ordinauit & ſtabiliuit conſtitutiones & ordinationes infra ſcriptas pro collegio, ſub titulo & inuocatione ſancti Illefonſi, per ipſum Reuerendiſſimum dominum in commemorato ſuo oppido de Alcala de Henares à fundamentis prope monaſterium ſancti Franciſci, ipſius oppidi ædificato. Quas præcepit per Rectorem, Regentes, Lectores, Capellanos, Collegiales, Doctores, Magiſtros, Licentiatos, Baccalarios, Portioniſtas, Cameriſtas, Socios, & vniuerſos & ſingulos, ſcholares, ac officiales, ipſius Collegij & vniuerſitatis, & cæteros quoſcunq; quos infra ſcriptæ conſtitutiones concernunt, ſiue tangunt aut tangere poſſunt, quomodolibet in futurum, ſub penis in eiſdem contentis inuiolabiliter obſeruari. Reſeruato eidem Reuerendiſſimo domino iure addendi, minuendi, corrigendi, & interpretãdi cum ſi-

bi congruum viſum fuerit. Quæquidem conſtitutiones prout præfata autoritate apoſtolica fuerunt editæ, ſtabilitę & ordinatæ, ſequuntur huiuſmodi ſub tenore.

¶ *De Titulo & inuocatione Collegij, & de numero Collegialium & Capellanorum.* I.

IN primis ſtatuimus & ordinamus, quòd in noſtro collegio quod nos auxilio diuino ſub titulo & inuocatione ſancti Illefonſi, intra muros noſtri oppidi de Alcala de Henares, à fundamentis conſtrui fecimus, dotauimus, atque ereximus ſint perpetuis futuris temporibus triginta tres præbendati, quorum vnus ſit caput & Rector totius Collegij & vniuerſitatis & três eorum ſint conſiliarij. Sint etiam vltra prædictos in eodem Collegio duodecim Capellani ſacerdotes ſeculares, quorum duo teneãtur miniſtrare ſacramenta neceſſaria omnibus & ſingulis habitantibus in Collegio tanquam proprijs parrochianis, vocenturque ratione præfatę miniſtrationis Capellani maiores. Sit etiam vnus ex alijs Capellanis ſacriſta maior, ad quem pertineat cuſtodia & ſolicitudo eorum quæ ad eccleſiam ſancti Illefonſi quæ eſt intra præfatum Collegium ſpectant & alia ad eius officium concernentia vt inferius explicabitur: reliqui vero nouem Capellani ſint in partem & ſolicitudinem totius regiminis & adminiſtrationis eorumque ad miniſterium & ſeruitium eccleſiæ præfatæ & alia quæcunque negotia ipſius Collegij pertineant quoquomodo prout Rectori & Conſiliarijs viſum fuerit expedire, qui appellẽtur Capellani minores, & in abſentia aut propter impedimentum capellanorum maiorum teneantur ea adimplere, quæ capellanis maioribus incumbunt, illi videlicet, quibus Rector id iniunxerit. Cohabitentque, tam ſacriſta maior, quàm præfati nouem capellani minores in cameris, quæ ſunt propre ſacriſtiam & in alijs habitationibus eidem capellæ contiguis, ad hoc deputatis, niſi ex aliqua iuſta cauſa viſum fuerit Rectori & conſiliarijs fore magis neceſſarium vel vtile, aliquem ſeu aliquos eorum in aliqua parte alia Collegij eſſe collocandos. Deputenturque à Rectore & conſiliarijs duo ex præfatis nouem capellanis vt principaliter intendant cum ſacriſta maiori, circa eius officium ſicut idem Rector & conſiliarij diſpoſuerint. Sint inſuper in eodem Collegio duodecim familiares, quorum familiarium vnus ſit diſpenſator minor, alius vero coquus, reliqui autem decem deputentur pro ſeruitio communi domus, ad arbitrium Rectoris & Conſiliariorum. Habeatque præfatus diſpenſator minor pro ſalario ſingulis annis quadraginta argenteos, coquus autem habeat quod Rectori & Conſiliarijs videbitur dum tamen

men non excedant ſummam octoginta argenteorum,alij vero decem habeant ſinguli viginti argenteos. Et inſuper cuilibet dictorum familiarium detur ſingulis annis vna veſtis ſuperior, quæ dicitur clamis: & ſit eius coloris quo veſtiuntur præbendati licet ſit minoris pretij.

¶ *De Rectore & Conſiliarijs Collegij.* II.

ORdinamus etiam ꝙ ex dictis triginta tribus collegialibus quolibet anno,in vigilia ſancti Lucæ euangeliſtæ,eligātur vnus Rector & tres conſiliarij,quibus incumbat onus regiminis & gubernationis ipſius collegij, Rector vero in vniuerſis actibus & negotijs,congregationibus, electionibus,examinibus,graduum collationibus,quæ fiunt ſine rotulo(nam in talibus ſeruentur conſtitutiones noſtræ,inferius poſitæ, vbi de rotulis conficiendis agitur)ac alijs omnibus quouis modo gerendis & exercēdis habeat potiſſimū locū & primam vocē. Et interſit vniuerſis actibus & negotijs tanꝗ caput, cuius arbitrio cuncta ferè in nr̄o collegio & vniuerſitate moderāda relinquimus. Et in electione Rectoris & conſiliariorū, capellani non habeāt vocē actiuam,nec paſsiuā,quia nec nomine collegialiū eoſdem volumus cōprehendi:ab huiuſmodi officijs Rectoriæ & cōſiliariatus nullus prędictorū collegialiū ſe excuſet,ſed eodem die quo fuerint electi abſq; aliqua excuſatiōe ſub pœna expulſionis à Collegio eadē officia acceptare teneant.

¶ *De forma eligendi Rectorem & Conſiliarios.* III.

PRouidam & circunſpectam oportet adhibere conſiderationē in electione Rectoris,vt quemadmodū ipſius Collegij & vniuerſitatis futurus eſt caput,ita etiā meritis & virtutibus rerūq; experiētia cæteros antecellat. Vnde ſtatuimus,ꝙ octaua die ante feſtū ſancti Lucæ cōgregētur omnes Collegiales in clauſtro dicti Collegij,quibꝰ Rector denūciet futuri Rectoris electionē,admoneatq; eos, vt ſecū cogitēt,quis cōmodius in rectorem poſsit eligi,deinde in vigilia.S. Lucæ poſt celebratā ſummo mane ſpiritus ſancti miſſam,clauſtrū per Rectorē conuocetur & teneatur. Et capellanus qui prędictā miſſam celebrauit,ſimul cū notario clauſtri præſtito prius ab eiſdē iuramento,de ſecreto eorū quæ in clauſtro fiēt ſeruādo recipiat ab omnibus & ſingulis Rectore & conſiliarijs, ac collegialibus ſolenne iuramentū, ꝙ eligēt in Rectorē,quē crediderint ſufficiētiorē, & magis idoneū ad regimē dicti Collegij,& totius vniuerſitatis,& in cōſiliarios eos, quos crediderint idoneos & ſufficiētes ad cōſiliariatus officiū. Et volumus ꝙ poſtꝗ in clauſtro ad huius modi electionē rectoris & conſiliariorū faciendā ingreſsi fue-

rint nemini liceat amplius à clauſtro exire, donec præfata Rectoris & conſi liariorum electio conſummata fuerit. quæ quidē electio fiat per cedulas eadem manu ſcriptas dumtaxat & vt omnis ſuſpitionis materia tolatur & ne aliquis poſsit ſeipſum eligere in Rectorē. Ordinamus ꝙ poſtq̄ in clauſtro ad dictam electionem faciendam omnes fuerint congregati, deputetur aliqua perſona à dicto clauſtro, quæ aliquod ſignum ponat à tergo in prædictis cedulis itaq; non ſit locus mutandi aliquam ex cedulis & loco illius ponendi alteram. Et conſequenter Rector, accepta prius pro ſe ipſo cedula diſtribuat cuilibet collegialium cedulas nominum omnium & ſingulorum, qui ſecundum formam noſtrarum cōſtitutionum, poſſunt eligi pro illo anno. Singuli autē collegialium ex dictis cedulis eligant quam cōſcientia dictauerit eligendā iuxta formā præſtiti iuramēti, & reponat eas ſecreto in loco ad id deſignato, reliquas vero quas reiecerint aperte referēt corā eiſdē Rectore & cōſiliarijs vel reponāt eas in loco ſecreto, etiā ad id deſignato vt omnis fraudim occaſio profus tollatur. Deinde Rector præfatus cū capellanis maioribus & notario clauſtri, præſtito prius per eos iuramēto, ꝙ nullo vnq̄ tēpore publicabūt nomina, nec vota niſi illi' dūtaxat qui fuerit electus à maiori parte vel illorū de quibus in ſecūdo, vel tertio ſcrutinio debet fieri electio, nō exprimēdo etiā tunc numerū votorū ſcrutētur cedulas, & ille habeatur pro Rectore, cui maioris partis eligētiū vota ſuffragentur, ꝙ ſi in diuerſos vota diuiderētur, ita ꝙ nullus à maiori parte eligentiū hac prima vice reperiretur electus. Tūc in cōtinēti iterū & ſecūdo procedāt ad electionē de illis perſonis dūtaxat quæ in prima electione plura vota habuerūt exclu ſis cæteris oībus qui pautiora (vt exēpli grā) ſi duo vel plures habuerint ſingula ſex vota de iſtis ſolū fiat electio, excluſis cæteris omnib' q̄ à minori numero fuerint electi, ſed ſi vn' dūtaxat habuerit ſex vota, quia de vno nō poteſt fieri electio, tūc de illo vel de illis q̄ habuerint ſinguli quinq; vota & de iſto qui habet ſex vota fiat ſolūmodo electio excluſis cæteris omnibus, & hæc eadē forma ſeruetur quoties tali modo, electos in maiori vel minori numero voces habere contigerit, vt videlicet de illis ſolis fiat electio, qui fuerint in æquali maiori numero, & ſi vnus ſolus fuerit in maiori numero, de illo & de alijs dūtaxat, qui poſt ipſum fuerint in maiori æquali numero ſolūmodo fiat electio excluſis cæteris omnibus habētibus vel nō habētib' vota. Sed ſi (quod abſit) hac ſecūda vice nullus à maiori parte eligētiū fuerit electus, ita ꝙ neceſſario ſit ad tertiū ſcrutiniū deueniendū. Tūc in cōtinenti anteq̄ exeāt de clauſtro, diſtributis cedulis vt ſupra, iterum electio fiat tertio de illis dūtaxat qui à ſecunda electione plura vota habuerūt ſicut diſpoſitū eſt. Et tādē in hoc tertio ſcrutinio, ille habeat pro Rectore, cui plura vota ſuffragent, etiā ſi nullus à maiori parte eligētiū fuerit elect'. Quia nolum' ꝙ in huiuſmo-

huiuſmodi electionibus, vltra q̄ ad tertiū ſcrutiniū procedatur, ne ex dilata tione electionis prædictæ, Collegiū diſpendium aliquod patiatur. Itē vt omnis contentionis, atq; controuerſiæ materia omnino tollatur, prohibemus, ne in huiuſmodi ſcrutinijs deueniatur ad collationē zeli ad zelū, nec meriti ad meritum. Sed ſi forte in eo tertio ſcrutinio duo, vel tres, vel plures a pari numero reperirentur electi, tunc cedulæ nominum eorundem à pari numero electorum, priori loco reponantur & ex dictis cedulis præfatus capellanus, qui miſſam celebrauit, deducat vnam, quæ ei caſu obtulerit, & ſic ſorte eorum contentio dirimatur, cōtentuſq; in dicta cedula habeatur pro electo in Rectorem. Nemini autem ceſſante neceſsitate liceat exire de clauſtro, donec Rectoris, & conſiliariorum fuerit conſummata electio ſub pœna amiſsionis veſtuarij illi' anni, & ꝙ ipſo facto priuetur voce eligendi pro illa electione dumtaxat, & poteſtas eligendi maneat penes cæteros in clauſtro intereſſentes, volumus etiam ꝙ in huiuſmodi electionibus, & in omnibus actibus, & negotijs, quæ collegialiter per clauſtrum ſecundum nr̄as cōſtitutiones debent expediri, teneatur Rector conuocare omnes & ſingulos collegiales, in oppido exiſtentes, ſub pœna duorum florennorū id qua ipſo facto incurrat pro qualibet vice quoties cōtrarium fecerit, & inſuper vt ominibus melius innoteſcat: paulo antequàm clauſtrum cōgregetur, cōuocētur omnes per ſonū cāpanæ. Sed ſi forſam aliquis vel aliqui collegialiū fuerint infirmi vel alio quocunq; impedimento detenti, vbicunq; ſint, ſiue in collegio, vel extra collegium, in oppido, vel alio quocunq; loco extra oppidum, niſi interſint electioni, nullatenus habeant vocem ad eligendum, nec poſsint alijs ad hoc committere vices ſuas, ſed penes intereſſentes in clauſtro tātummodo remaneat poteſtas eligendi. cæterum poſt electionē Rectoris anteq̄ exeant de clauſtro, vt præfertur: eligantur tres conſiliarij: ita ꝙ nouus Rector, & collegiales ſecreto per cedulas, prout in electione rectoris diſpoſitum eſt, procedāt ad electionem horū triū cōſiliariorū: & primo fiat electio vnius & is habeatur pro cōſiliario electus, cui plura vota ſuffragentur, etiā ſi à maiori parte eligentium nō fuerit elect': ꝙ ſi duo, vel plures de ijs, quibus plura vota ſuffragantur a pari numero reperirētur electi, tūc forte dirimatur inter eos prout in electione Rectoris, in caſu paritatis diſpoſitum eſt. Et facta electione vnius conſiliarij ſtatim modo prædicto procedatur ad electionē alterius, & illa finita immediate fiat electio tertij cōſiliarij. Tamē electo Rectore & cōſiliarijs, antiquus Rector, exigat iuramētū à nouo Rectore, de fideli adminiſtratione officij, iuxta formā iuramēti inferi' annotatā. Et nouus Rector exigat iuramentū à nouis cōſiliarijs. Et cōſequēter ab omnibus capellanis & collegialibus, videlicet ꝙ obedientes erūt ipſi Rectori, & ſucceſſorib' eius in omnibus licitis, & honeſtis, quę iſtis noſtris

conſtitutionibus cõtraria nõ fuerint Ad has autẽ electiones Rectoris & cõſiliariorũ teneãtur cõuenire oẽs collegiales & etiã capellani maiores tantũ modo: licet nõ habeãt vocẽ ad eligendũ, vt præfertur, ſub pœna amiſsionis veſtuarij pro illo anno, exceptis abſentibus pro negocijs collegij dumtaxat ac ijs, qui fuerint infirmi in collegio iuxta tenorem noſtrarũ conſtitutionũ.

¶ *De Tempore Rectoriæ & Conſiliariatus.* IIII.

STatuimus, & ordinamus, q̃ prædicta rectoriæ & cõſiliariatus officia ſint annalia: & rector præcedẽtis anni nõ poſsit iterum eligi in rectorẽ, niſi duobus annis elapſis à tẽpore finitæ ſuæ præcedẽtis Rectoriæ cõputandis. Poſsit tamẽ eligi in cõſiliarium elapſo anno poſt finitam rectoriam, cõſiliarius autẽ nõ eligatur rurſus in cõſiliarium niſi elapſo anno poſt finitũ Conſiliariatus officiũ poſsit tñ eligi in rectorem. Et Rector vel conſiliarius præcedentis anni poſsit eligi medio tẽpore in vicerectorem, vel vice cõſiliariũ. Nolumus autẽ q̃ aliquis collegialium in primo vel vltimo anno ſuæ præbẽdæ poſsit eligi in rectorẽ vel cõſiliariũ, niſi fuerit abſens pro negotijs collegij. Et tũc niſi venerit infra quindecim dies, eligatur loco ipſius vicerector, vel viceconſiliarius ſeruata forma infra in cõſtitutione de abſentia rectoris & conſiliariorum contenta. Quiquidem vicerector aut viceconſiliarius durante abſentia ſui principalis eandem habet poteſtatẽ, quã haberet idẽ Rector, vel cõſiliarius ſi præſens eſſet: & illis quindecim diebus antiquior collegialis exerceat officiũ Rectoris, & vt infra in alia ñra cõſtitutione cõtinet.

¶ *De abſentia Rectoris & Conſiliariorum & modo eligendi Vicerectorem & Viceconſiliarios.* V.

STatuimus etiã, q̃ ſi propter aliquam vrgentem neceſsitatem rectori imminentem Rector voluerit ſe à collegio abſentare, teneatur illam exprimere in clauſtro collegialium: & ab eiſdem licentiã petere & obtinere, quã nõ prætendat obtentã, niſi interueniẽte conſenſu duarũ partiũ clauſtri, ſed poſt ipſius Rectoris abſentiam primis quindecim diebus gerat vices Rectoris antiquior collegialis in ingreſſu, ſedebitq; in loco Rectoris in mẽſa, atq; in clauſtro. Si vero præfati rectoris abſentia vltra quindecim dies protẽderetur: prædictus antiquior collegialis Rectoris officiũ exercens, immediate poſt prædictos quindecim dies ſub pena priuationis portionis vnius menſis teneatur congregare clauſtrũ ad electionem vnius vicerectoris. In cuius electione ꝓcedatur, prout in electione Rectoris ſupra diſpoſitum eſt. Non tñ ad hãc vicerectoris electionem oporteat congregare clauſtrũ niſi ſemel, nec celebrari miſſam ſpiritus ſancti. Electus vero in vicerectorem, habeat durante tempore vicerectoriæ officium, & dignitatem Rectoris abſen

tis

tis in omnibus & per omnia. Statuimus inſuper ꝙ q̃ diu Rector fuerit in oppido extra collegium, vel ægrotauerit in collegio, ita ꝙ propter ipſius abſentiam, vel egritudinem, non poſſit ab eo faciliter licentia peti ad exeũdum, vel alia faciendũ quæ ſine ipſius rectoris licentia fieri, noſtrarũ tenore cõſtitutionum prohibetur, pro tali licentia reccurratur ad antiquiorem præbendatum in ingreſſu, qui in domo fuerit. Item ſi conſiliarius voluerit ſe abſentare obtineat licentiam à Rectore, & det clauem ſuam antiquiori nõ habẽti clauem. Qui iuxta formam noſtrarum conſtitutionum, per quindecim dies gerat vices ipſius cõſiliarij, quibus finitis eligatur alius vicecõſiliarius iuxta formam eligendi conſiliarios ſuperius annotatam. Et ad hãc electionem teneatur ſtatim Rector conuocare, & tenere clauſtrum ſub pena duorum florennorum archę collegij applicandorum.

¶*De vocatione præbendarum, & electione collegialium.* VI.

STatuimus & ordinamus, ꝙ cum aliqua præbenda noſtri collegij vacauerit, Rector infra triduum teneatur in refectorio poſt menſam denunciare vacationem illius præbendæ ſub pœna priuationis ordinariæ portionis vnius menſis, quam ſoluat collegio in pecunia, ne propterea cogatur abeſſe à menſa, facta autem prædicta denũtiatione vacationis, nulli collegialiũ liceat à collegio ſe abſentare donec fiat electio ad præbendam vacantẽ, ſub pęna vnius veſtuarij, vel eius à eſtimationis, niſi vrgẽte aliqua euidente neceſſitate, & de licentia Rectoris, nec alteri poſsit committere vices ſuas, & eadem die denuntiationis teneatur Rector conuocare, & tenere clauſtrum ad tractandum an expediat mittere cedulas, ad alias vniuerſitates, an non: & ſi tandem viſum fuerit eas eſſe mittendas, tunc infra alios tres dies proxime ſequentes mittantur prædictæ cedulę conſignatæ per præfatos Rectorem, & conſiliarios, continentes vacationem ipſius præbendæ, quæ affigantur in valuis ſcholarum ipſarum vniuerſitatũ, vt volentes ſe opponere poſſint conuenire ad ſe opponendum infra tempus triginta dierum, à die prædictæ denunciationis vacationis ipſius præbendæ computandorum. Completis vero præfatis triginta diebus teneatur denuo Rector infra alios quindecim dies immediate ſequentes, duabus vel tribus vicibus conuocare & tenere clauſtrum ad diligenter inquirendum de vita & moribus, ac ſufficiẽtia oppoſitorum, & ad eos examinandum prout præfatis Rectori & collegialibus viſum fuerit. Et quilibet collegialium teneatur dicere ea quæ obſtant, receptioni ipſius eligendi iuxta ea quæ in his noſtris conſtitutionibus continentur, ſub pœna præſtiti iuramenti, & tandẽ facta diligenti examinatione ante lapſum dictorum quindecim dierũ procedatur ad electio-

neni, niſi duabus partibus collegialium viſum fuerit prouiſionem ipſius præbendæ eſſe differendam ex aliqua rationabili cauſa, ꝙ ſi ceſſante prædicta cauſa in præfatis quindecim diebus Rector fuerit negligens in conuocando clauſtrum ad præfatam electioné faciendá, tunc quilibet collegialiũ poſsit requirere Rectorem, qui ſi requiſitus infra triduum poſt ipſam admonitionem clauſtrum ad electionem non conuocauerit, habeat quilibet collegialium autoritatem tenendi clauſtrum ad faciendam predictam electioné, quã faciat cũ his qui voluerint cõuenire ad eligẽdũ. Forma vero ſeruanda ſit, ꝙ poſt examinationé oppoſitorum tam de moribus q̃ de ſufficientia literarũ, celebrata prius miſſa ſpiritus ſancti & cõuocato clauſtro rector exigat iuramentũ ab omnibus & ſingulis collegialibus præſentibus in clauſtro ꝙ deũ præ oculis habentes, omni odio, amore, fauore poſtpoſitis, eligent ſufficientioré, & magis idoneũ. Principaliter cõſiderantes habilitatem ſufficientiã & honeſtatem, ac docilitatem ipſius eligendi. Et ſimiliter Rector ſub eadem forma iuret quo facto & diſtributis cedulis, per omnes & ſingulos collegiales, in quibus nomina & cognomina ipſorum oppoſitorum ſint ſcripta ſeruẽtur in cæteris ea omnia & ſingula quæ ſuperius diſponuntur ſeruanda in electione Rectoris cæterũ quia in omnibus electionib' eligentiũ aſſenſus & voluntas libera requiritur, neceſſe eſt vt ſubornationis & alterius cuiuſcunq; impedimẽti materia omnino tollatur, nã alias videretur in Dei omnipotentis offenſam & nõ modicũ ipſius collegij præiuditiũ, præbendam non ex virtutibus & ſufficientia, ſed per circunuentiones & ſubornationes prouideri. Vnde poſsint exoriri q̃ plurimę contentiones atq; inimicitiæ, & multa alia pericula prouenire. Ideo ad huiuſmodi incõuenientia vitanda, & vt delinquentes in præfatis electionibus in eo quod deliquerint debite puniantur. Statuimus ꝙ non liceat alicui oppoſitorum ſeu eligendorum ante vacationem, nec poſt vacationem præbendæ per ſe, vel per alium ſeu alios cuiuſcunq; ſtatus, cõditionis, præminentiæ & dignitatis exiſtant publice, vel occulte directe vel indirecte procurare preces aut literas cõmendatitias pro ſuo ingreſſu, nec alias per ſe aut per interpoſitam perſoná, vel per literas aut alio quouis modo collegiales ſolicitare. Prohibemus etiam ne quis ex collegialibus, ſuper præſtando voto ſuo in huiuſmodi electionibus voluntaté ſuã alicui perſonę mundi, verbis, ſignis, nutu aut literis, aut alio quouis modo aperiat, vel ſignificet. Nec alias ipſe collegialis, nec quiuis alius quempiam ex eligẽtibus ſubornationibus, ſeu alio quouis quæſito colore ad præſtandum fauorem vel ſuffragiũ alicui ex oppoſitoribus inducat ſiue ſollicitet, nec quid aliud de his quæ ſuperius prohibentur oppoſitoribus intentet, ſi quis autem contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum attentare, vel cõtrariare præſumpſerit, ſi fuerit ex oppoſitoribus

eo ipſo

eo ipſo fiat inhabilis ad præbendam pro illa ellectione, etiam ſi ipſo ignorante alius quiſpiam præcibus, vel literis aut alias pro ipſo intercelſerit, niſi notorie conſtet maliciose factum fuiſſe, vt eligendus fieret inhabilis ad præbendam. Si vero fuerit collegialis etiam ſi ſit regens, vel quæuis alia perſona collegij ipſo facto expellatur à collegio: ſed ſi fuerit regens extra collegiũ degens priuetur ſua regentia. Si autẽ fuerit ſcholaris de vniuerſitate quicũq; ille ſit, priuetur omnibus & ſingulis præuilegiis ipſius vniuerſitatis & expellatur ab eadẽ, & ſi fuerit extraneus ipſo facto ſententiã excõmunicationis incurrat à qua nõ poſsit abſolui niſi per Rectorẽ & ſatisfatione præmiſſa: quas omnes & ſingulas pænas volumus exrẽdi cõtra ſubornantes, in quibuſcũq; aliis electionibus, in his noſtris conſtitutionibus cõtentis.

¶ *De qualitate eligendorum ad præbendas, & curſibus per eos neceſſario faciendis, & de tempore quo permanebunt in Collegio.* VII.

SEd quia in qualitate eligendorũ ad præbendas noſtri collegij, tota ipſius collegij tã qualitas & fructus literarũ conſiſtit. Volumus q admittendus ad præbendas noſtri collegij attingat ſaltim viceſimũ annũ, & quod audierit iam ſummulas ita q ſit cõpetenter logicus, & quod ſit adeo pauper vt tẽpore electionis nõ habeat in redditibus annuis, in benefitio aut patrimonio, vel alias vltra viginti quinq; florẽnos auri de Aragonia. In quorum numero nolumus cõputari ſalariũ lecturæ, aut cathedræ, quã in eodẽ nr̃o collegio forſam habeat eligẽdus. Nec excludãt quequã à ſua iam obtenta præbẽda redditus quicũq; poſt ſui receptionẽ vndecũq; ſibi prouenietes. Itẽ q admittẽdus nõ ſit magiſter in theologia, niſi talis magiſter fuerit regẽs in artibus vel in theologia aut tũc forſam eligeretur ad regentiã ſimul & ad prębendã. Itẽ q nõ ſit principaliter canoniſta ſeu medicus, nec durante tẽpore ſuæ præbendæ, eiſdẽ facultatibus poſsit dare operã, ne nr̃o fruſtremur propoſito, qui præfatũ collegiũ vt in eo artiũ & ſacrę theologiæ ſtudia pręcipue florerẽt fundare curauimus, liceat tamẽ cuiq; eorũ poſtq̃ baccalauriatus formati gradũ in theologia adeptus fuerit, iuri canonico intercisis horis dare operã, ſed nõ ſemper nec principaliter vt dictũ eſt. Et volumus q tã electus ad præbendam, quam ad capellaniam maiorem, vel maiorem ſacriſtam, ſeu ad capellaniam, minorem teneatur ſuis temporibus facere ſuos curſus & act⁹ in ſua facultate & in eis procedere, & lecturas ad curſum theologicũ requiſitas, hoc eſt ſentẽtiarũ & bibliæ publicæ & vtiliter legere, & oẽs grad⁹ recipere, alioqui, ſi aliqs trãſacto tẽpore in quo iuxta tenorẽ nr̃arũ cõſtitutionũ poterat facere aliquẽ actũ, vel cõſeq gradũ, nõ fecerit huiuſmod i actum, aut cõſequutus fuerit gradum, eo ipſo vacet eius præbenda. Per hoc

tamen non intendimus ad gradum licentiæ,nec magiſterij in artibus, aut
doctoratus ſeu magiſterij in theologia,aliquem obligare, poſsint tamē Re
ctor & conſiliarij,prefatis duodecim capellanis prorogare tempus noſtra-
rum conſtitutionum ad faciendum ſuos actus,propter aſsidua impedimē-
ta, quæ circa ſua officia poſsint occurrere ſuper: quo illorum conſcientias
oneramus,ne vltra q̃ opus ſit tempus in eis prorogēt.Item ad euitandas fre
quentes propinquorum viſitationes,& vt perpetuæ paci & trāquilitati col
legialiū conſulatur, ac omniū factionum ſeditionumq; futurarum,perpe
tua tollatur occaſio.Id circó volumus quod nemo ex domiciliarijs ſiue in
colis,huius noſtri oppidi de Alcala poſsit eligi in collegialē, vel capellanū
nr̄i collegij,licet alias tā ad regētias q̃ ad alia quæcūq; officia vniuerſitatis
poſsit eligi,& gaudere omnibus & ſingulis preuilegijs ipſius vniuerſitatis
ſicut cæteri quicunque de eadem vniuerſitare,ſed nec in ſimul eligātur in
collegiales duo aut plures conſanguinei intra ſecundum conſanguinitatis
gradum,aut eiuſdem loci,vel ciuitatis,quod ſi per errorem fieri contigerit
electio ſecundi eorum ſit nulla,Præterea nullus qui ſibi mulierem deſpon-
ſauerit,vel aliquam religionem profeſſus fuerit admittatur ad præbēdam,
ſed nec recipiatur in familiarem,quod ſi alicui probatū fuerit matrimoniū
contraxiſſe,vel aliquam ſibi deſponſaſſe,ante vel poſt ſui receptionem aut
ante receptionem profeſſum iam fuiſſe religionē ſtatim expellatur à colle-
gio.Et inſuper pro quolibet anno quo poſt aliquod iſtorum impedimento
rum permanſit in præbenda,cogatur ſoluere octoginta florennos.In eligē-
dis vero his qui ad præbendas apti videbuntur eligentium conſcientias o-
neramus,vt in conferendis dandiſq; votis ſiue ſuffragijs , habeant reſpectū
ad qualitates perſonarum,ſequenti ordine ſeruato. Scilicet ꝙ cæteris pari-
bus præferāt oppoſitorem capellanū noſtri collegij , deinde portioniſtā po
ſtea cameriſtā,cōſequenter ſociū,& vltimo extraneū à collegio ſed inter ex
traneos preferāt diœceſanū & inter diœceſanos habiliorē & magis idoneū
(vt præfertur)& inter nō diœceſanos præeligāt Caſtellanū.Electusvero ad
præbēdā habeat ius manēdi in illa per octo annos cōtinuos niſi propter ali
quā cauſam in prædictis,aut his infra ſcriptis conſtitutionibus cōtentā per
diderit ſuum ius ad præbendam.Quibus finitis nullatenus poſsit iterū eli-
gi,prouideaturq; ſingulis collegialibus & capellanis tempore quo perman
ſerint in collegio cameris cū ſuis clauibus,victu,&veſtuario prout inferius
deſignabitur,& de medico,& medicinis,candelis,tonſore, lorrice, lectulis
ligneis cum ſuis funibus,menſa,ſubſelio & ſcāno.Lectulos vero cū ſuis fu-
nibus,menſam ſubſelium,& ſcannum,prædicta cum claue cameræ teneā-
tur collegiales & capellani prædicti, & quæcunq; aliæ perſonæ , quibus de
his collegium prouiderit ſana & integra præfato collegio ante receſſum ab

eodem

eodẽ reſtituere. Prouidẽ mus tamẽ ne in lectulis aut alibi in collegio, liceat alicui perſonæ habere ſtipulas, vt ignis periculo, & alijs incõmodis obuiet.

¶ *De habitu & honeſtate Collegialium & de euitandis quibuſdam muſicis inſtrumentis & ludis.* VIII.

ORdinamus inſuper, ꝙ omnes Rector & capellani & collegiales recipiãt à collegio per ſingulos annos in prima dominica aduentus ſingulas veſtes videlicet clamidem cũ caputio panni de buriel de Aragoni pretij vnius floreni ad ſummum præterq̃ capellani minores quorũ ſingulis per bienniũ tantummodo clamis cum caputio conferatur: ita vt in prima dominica aduentus immediate poſt ſuum ingreſſum in collegio tradatur eis pręfata clamis cũ caputio, & deinceps à prædicta dominica computetur huiuſmodi bienniũ. & niſi decurſo die prædictæ dominicæ aduẽtus nullo modo poſsit collegialibus, aut capellanis, ſiue antiquis ſiue nouiter receptis quocũq; tẽpore recipiantur tradi præfatũ veſtuarium. Volumus etiã ꝙ huiuſmodi veſtuariũ nullatenus poſsit aſsignari in pecunijs: niſi his tantũmodo qui per duos vel tres mẽſes ante feſtum. S. Lucæ ad prebẽdã ſeu capellaniã fuerint admiſsi, & nouã veſtẽ ſuis pecunijs emerint & in his ſimiliter qui infra tres menſes poſt feſtũ ſancti Lucæ completur tempus ſuæ præbẽdæ, ſeu capellaniæ & tunc etiã pecunia nõ poſsit tradi niſi tranſacta prædicta dominica aduentus tradatur pro præfata clamide & caputio ad ſummum cum in pecunia ex dictis cauſis fuerit ſoluendũ quantitas ſeptẽ florennorũ & non amplius. Prohibemus etiam ne alicui tradatur veſtuarium in panno niſi facta veſtis. Sit autem præfata clamis formæ clericalis honeſtæ nõ nimia longitudine, aut breuitate notanda & prouideat quilibet rector tẽpore conueniẽti de pannis neceſſarijs pro veſtibus ſupradictis in quibus diſtribuendis ſeruetur ordo ſeſsionũ in refectorio. Et prohibemus omnino, ne quis prædictorum ſine habitu & ſocio aliquo ex ſupra dicto poſsit extra collegiũ exire, & tunc de expreſſa licentia rectoris, tã pro ſe, q̃ pro ſocio, quem ſibi aſsignauerit, quam licentiam rector non poſsit cõcedere niſi pro illa vice dumtaxat, ita ꝙ quoties oportuerit aliquem ex ſupra dictis exire à collegio: toties teneatur petere & obtinere prædictam licentiam, ſi quis vero cõtra præmiſſa vel aliquod præmiſſorũ venerit, pro prima vice priuetur portione vnius diej, pro ſecunda vero mulctetur portione vnius hebdomadæ, pro tertia autem priuetur portione vnius menſis. Et ſi vltra tres vices in qualibet rectoria in hoc deliquerit, ſoluat æſtimationem veſtuarij illius anni: ſed ſi appareat pertinaciter, vel in contemptum feciſſe expellatur à Collegio nunquam amplius in eodem admittendus. Omnes ergo & ſinguli

guli in capellanos, aut collegiales recepti de nouo teneantur infra menſem ſuæ receptionis cæteris collegialibus in habitu ſe conformare. Et prohibemus, ne aliquis prædictorum intra Collegium poſſit incedere ſine clamide prædicta, vel ſaltem talari toga diſcincta, quæ vulgo dicitur toga vſque ad medietatem clauſa, admodum illarum quibus intra eccleſias vtuntur canonici noſtræ ſanctę Toletañ. eccleſiæ, ſub pœna priuationis portionis vnius hebdomadæ. Volumus inſuper quòd omnes, & ſinguli ſupradicti, nec barbam nutriant nec comam, ſed ſint conformes honeſtis ſacerdotibus. Nulli etiam prædictorum liceat extra Collegium prandere in oppido aut cenare ſine expreſſa licentia rectoris, quam ipſe difficilime præſtabit: & non niſi honeſta aliqua, & rationabili cauſa interueniente. Qui autem contrarium fecerit puniatur grauiter arbitrio rectoris & conſiliariorum. Nullus inſuper ex omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac alijs quibuſcunque intra collegiũ commorantibus, audeat intra, vel extra ipſum arma portare: nec illa in ſuis cameris habere: ſub pęna priuationis ordinariæ portionis per menſem, & amiſsionis armorum. caueant etiam ab omni ſeditione, murmuratione, & ſcandalo, maximè in refectorio. Qui autem in hoc deliquerit puniatur per Rectorem acriter, attenta qualitate perſonæ & alijs circunſtantijs. Omnes autẽ ludos alearũ, chartarũ, taxillorũ, ac omnia genera inſtrumẽtorũ muſicorum in nr̃o Collegio ſtrictiſsime prohibemus, præter monachordiũ, aut clauicimbanum, dum tamẽ in his nõ nimis ſe occupẽt, nec etiã alios impediãt. Permittimus tamẽ, ꝙ in diebus feſtis poſt prãdiũ, & de expreſſa licẽtia Rectoris, regẽtes, & Collegiales; ac alij intra Collegiũ habitãtes, inter ſe, vel cũ ſcholaribus dumtaxat poſsint ſe exercere in aliquibus ludis honeſtis, videlicet, pilæ, ſaxi, ferri, ac alijs huiuſmodi corporalibꝰ exercitijs, dum tamẽ lectiones, & alia exercitamẽta, ſi qua illis diebus fieri deberẽt, nullatenꝰ impediãtur, & ꝙ in inferiori parte domus, ſcilicet ꝙ in aliquo cõpluuio & loco vbi ab extraneis videri nõ poſsint ad ludẽdum ſecedãt. Et Rector hãc licentiã nõ facile cõcedat, ſed cũ propter ſubleuãdos labores huiuſmodi honeſtas recreationes viderit ipſe cõcedendas. Si quis aũt pręfatos ludos prohibitos cõtra nr̃am conſtitutionem exercere præſumpſerit, pro prima vice priuetur portione vnius mẽſis, pro ſecũda vero ſoluat eſtimationẽ veſtuarij illius anni, pro tertia autẽ expellatur à Collegio. Qui vero alijs inſtrumẽtis muſicis q̃ ſupra præmiſsis vti attẽtauerit, ꝓ prima vice priuetur portione vniꝰ diei, pro ſecũda aũt priuetur portione vnius hebdomadæ, pro tertia vero priuet̃ portione vnius mẽſis. Cęterũ prohibemus ne vnq̃ aditꝰ aliquis ſeu ingreſſus mulierũ ad Collegiũ permittatur, niſi de licẽtia Rectoris, quã nõ præſtet niſi attenta qualitate, & dignitate perſonæ, & ex iuſta cauſa. Et tunc aſsignet aliquam honeſtã perſonam quæ ædificia illius collegij oſtendat.

¶De

¶ *De electione Capellanorum & eorum officio & qualitate, & quanto tempore permanebunt in Collegio.* IX.

CVm ſuperius decreuerimus & ordinauerimus ꝙ in præfato noſtro Collegio ſint duodecim capellani. Quorum duo ſint capellani maiores & vnus ſacriſta maior & nouem capellani minores. Ideo ſtatuimus & ordinamus ꝙ eligēdus in capellanū ſit ſacerdos ſecularis vita & morib⁹ honeſtiſſimus, in miniſterio altaris & cæteris diuinis officĳs habitis & bene inſtructus, ad quod debēt principaliter intēdere electores, ſit etiā in literis mediocriter introductus, nec eligatur niſi ad minus ſit ſummuliſta. In electione vero alicuius in capellanū, procedatur vt in electione admittendorū ad præbēdas. Manebit autē quilibet capellanus in collegio per quadrienniū tātūmodo à die ſuę receptiōis, finito tamē dicto quadriennio poterit prorogari præfatū tēpus per alios quator annos nō vltra, & hoc interueniēte cōſenſu duarū partiū clauſtri ad minus. Prorogato vero tēpore quadriennio, nō cēſeatur vacaſſe dicta capellania. Quòd ſi duæ partes nō conſenſerint in eius prorogatione, ſtatim vacet eius capellania, in cuius prouiſione procedatur ſicut ſuperius diſpoſitū eſt. Ad quā ſeu ad aliā capellaniā ſeu præbēdam ſic excluſus nullatenus admittatur. Et volumus nihilominus ꝙ quilibet eorū durāte tēpore cuiuſlibet quadriennĳ poſſit expelli per collegiū, dum tamē duę partes clauſtri in id cōueniant. Capellanorū autē veſtes ſint omnino cōformes veſtib⁹ præbēdatorū, quas à collegio ſicut ſuperius diſpoſitū eſt pcipiāt. Capellani vero prædicti vt meli⁹ poſſint in diuinis officĳs & alĳs quæ eis incūbunt inſudare, nō habeant in clauſtro vocē, & duo capellani maiores & ſacriſta maior nullaten⁹ eligātur ad aliqua officia aut onera collegĳ, præterꝙ̄ ad ea quæ in nr̄is cōſtitutionibus obligātur, teneanturq; duo capellani maiores ſinguli per ſuas hebdomadas quotidie celebrare miſſam diei cū cātu ſummo diluculo, vel alia hora arbitrio capellæ in altari maiori, cui omnes & ſinguli collegiales, capellani, portioniſtæ & cameriſtæ, & ſocĳ ſub pœna priuationis vini, tam in miſſa ꝙ̄ in alĳs horis, & officĳs diuinis ad quæ obligātur, & cū omni ſilētio intereſſe teneātur. Sed ſecūda feria cuiuſlibet hebdomadæ dicatur miſſa defunctorū, & die ſabbati miſſa beatiſſimę virginis, quibus dieb⁹ nihilomin⁹ dicatur miſſa diei ſub miſſa voce. Capellanus etiā hebdomadarius teneatur mēſam refectorĳ in principio prādĳ & cœnę benedicere, & gracias deo agere in fine cui benedictioni qui nō interfuerit ſimili modo priuetur vino ad mēſam pro illa vice teneātur pręterea idē capellan⁹ ebdomadarius, miniſtrare ſacramēta neceſſaria omnib⁹ & ſingulis, habitātibus in collegio tanꝙ̄ proprĳs parrochianis, ad quod tenore pręſentium autoritate noſtra ordinaria, & apoſtolica nobis conceſſa ac prout,

melius

melius poſſumus licentiam impartimur, pariter & facultatem. Teneantur etiam omnes capellani ſingulis diebus dominicis & feſtiuis qui coluntur à clero & populo in eadem eccleſia ante miſſam maiorem decantare primã & tertiam, vel tertiam & ſextam, & conuenienti tempore ſecundas veſperas eiuſdem diei dicere, & reliquis omnibus diebus etiam nõ feſtiuis teneãtur dicere primam vel tertiã ante miſſam vel ſextam poſt miſſam & in crepuſculo noctis completorium immediate ante antiphonam beatæ virginis videlicet Salue regina, & ante antiphonam Regina cæli ſuo tempore dicendam, ita ſcilicet quòd finita antiphona ſtatim pulſetur ad ſalutationem angelicam, & inſuper præfati nouem capellani minores teneantur intendere tam circa miniſterium altaris q̃ circa ſeruitium domus cum officialibus & aliis perſonis prout à Rectore & conſiliarijs fuerint deputati, ſicut ſuperius diſpoſitum eſt. Teneantur etiam pauperibus diſtribuere portiones poſt prandiũ & cœnam & habere curam omnium infirmorum qui fuerint intra Collegiũ, & ſolicitare medicos & ægrotantiũ ſeruitores, vt melius infirmus de omnibus neceſſarijs prouideatur, prout per rectorem ſingulis capellanis minoribus iniũgetur, eligatur etiam ſingulis annis per Rectorẽ & conſiliarios vnus ex præfatis nouẽ capellanis minoribus, qui recipiat à Rectore & cõſiliarijs & theſaurario frumentum & pecunias collegijs pauperũ ſcholariũ ſecundũ ordinẽ per nos deſignãdum diſtribuẽdas: quorũ rationẽ eiſdẽ reddere teneãtur. Ad officiũ vero ſacriſtæ maioris pertineat cuſtodia ornamẽtorum eccleſiaſticorum, & ſacrorum vaſorum, quę per Rectorẽ & cõſiliarios pro diuino officio celebrãdo ſibi tradẽtur. Sit etiã ſolicitus in omni ornatu eccleſiæ, præſertim circa munditiã ornamẽtorum & luminariorum, necnõ formas hoſtiarũ, & vinũ, & cãdelas cereas, & reliqua neceſſaria præparet ad miſſas celebrãdas. Ita quòd capellani, & reliqui qui in eccleſia ſancti Illefonſi celebrauerint, ſummo diluculo celebrare poſsint. Teneatur pręterea prouidere omnia neceſſaria ad diuinum officium, ita quòd nihil eorum quibus opus eſt, ad celebrationem miſſarum & aliorum diuinorum officiorum opportuno tempore deſint, habeatque præfatus ſacriſta maior duos ex minoribus capellanis, qui in omnibus quæ ad eius officiũ ſpectant de mandato & arbitrio rectoris eum coadiuuare teneantur. Recipiãtq; Rector & cõſiliarij à pręfato ſacriſta maiore ſufficientẽ cautionẽ pro adminiſtratione ſui officij, & ſecuritate & indẽnitate eorũ quæ ſibi tradẽt.

¶ *De abſentia Collegialium & Capellanorum.* X.

VOlumus etiam, quòd ſi aliquis ex præbendatis vel capellanis voluerit à collegio ſe abſentare, habeat duos menſes petita perſonaliter licentia à Rectore, quam teneatur ei concedere, niſi ex aliqua iuſta cauſa Rectori videretur

videretur eſſe negandam licentiam aut differendam vnde volumus ꝙ per integrum diem ante diceſſum ſuum teneatur quilibet capellanus vel præbendatus petere licentiam prædictã: ſed ſi ingruat talis neceſsitas diſcedẽdi, ꝙ propter moram vnius diei immineret aliquod periculum, tunc teneatur Rector petitã licentiam, ſtatim concedere, facta ſibi fide de præfata neceſsitate, ſaltem per iuramentum petentis. Sed nulli ex capellanis vel præbendatis liceatã collegio diſcedere, quin dimittat fideiuſſorẽ pro debitis ſi in aliquibus, Collegio fuerit obligatus: nec poſsit diutius abeſſe niſi ex vrgenti cauſa, & tunc teneatur per ſe tempore ſui diſceſſus vel poſt per procuratorem ſui petere licentiam à Rectore & Conſiliarijs & explicare cauſam ſuæ abſentiæ, & iurare eam eſſe verã, & ſi Rectori & Conſiliarijs viſum fuerit prorogandum ei eſſe terminum, prorogetur: dũ modo nõ poſsit vltra alios duos menſes ei concedere. Sed ſi in conceſſione huiuſmodi licentię Rector cũ vno cõſiliario diſſentiat ab alijs duobus conſiliarijs pręualeat pars Rectoris. Si vero tres ab vno diſſentiant pręualeat ſententia trium, & hoc ſit regula generalis in omnibus negocijs decidẽdis per Rectorẽ & cõſiliarios. Quo ſecũdo elapſo termino ſi ad huc nõ redierit capellanus vel collegialis abſens perdat præbendã vel capellaniam, quia nolumus ꝙ in tẽpore vnius rectorię aliquis poſſit vltra quatuor menſes cõtinuos, vel interpolatim abeſſe. Et qui in vna rectoria nõ acceperit integros quatuor menſes nõ poſſit reſiduũ accipere in alia, liceat tamẽ licentiam inceptam in vna rectoria, continuare in aliã, Dum tamẽ cõputentur ei in quatuor mẽſibus ſequẽtis rectoriæ. Si quis vero propter abſentiã vel aliã cauſam priuatus fuerit præbẽda, vel capellania nõ admittatur amplius ad oppoſitionẽ quia nolumus ꝙ ſemel expulſus à præbẽda vel capellania amplius ad eã admittatur. verumtamẽ ſi abſens detineatur graui infirmitate, vel in carceribus ſine culpa ſua nõ perdat collegiũ, de quo impedimento, teneatur monſtrare autenticũ inſtrumentum notarij, cũ tribus vel quatuor teſtibus adiuratis coram iudice, quorum teſtium, vnus ſit medicus, ſi infirmitate detẽtus fuerit. Elapſis vero dictis quatuor menſibus nõ pronuntietur ſtatim abſentis præbendã vacare, ſed expectetur per quindecim dies vt poſſit oſtẽdere impedimentum carceris, vel infirmitatis, vt dictum eſt. Reputetur autem in hoc caſu, & in ſimilibus, quilibet menſis habere triginta dies, ad tollẽdam inſuper ambiguitatem. Ordinamus, quòd cum datur alicui licentia abeundi ſcribatur in libro abſentiarum, notando diem, & perſonam, vel perſonas à quibus obtinuit licentiam, qui etiam, in eodem libro ſe ſubſcribant, & hic liber ſit penes Rectorem, & ſimiliter Rector teneatur facere, ſcribere abſentias illorum qui ob infirmitatem, vel aliam cauſam abfuerint à refectorio, & ſi præfatæ perſonæ fuerint intra domum

necnon

necnon abſentias illorum qui pro negocijs domus abſuerint, quod totum per ſe, vel per aliquem ex capellanis minoribus, quē ad hoc duxerit eligendum omnino adimplere teneatur. Nec prius Rector concedat alicui licentiam abeundi extra oppidum quam is cui eſt concedenda præſentauerit Rectori cedulam diſpenſatoris maioris. per quam conſtet quod in ſuo libro ſcripſerit diem receſſus illius qui vult obtinere licentiam. Alioquin ſi in præmiſis, vel aliquo præmiſſorum Rector repertus fuerit negligens, vel culpabilis vltra damna & intereſſe collegij, ad quæ omnino teneatur, pro prima vice puniatur pena duorum florennorū, pro ſecunda dupliciter, pro tertia priuetur veſtuario illius anni. Et volumus ꝙ iſti quatuor menſes & totum tēpus abſentiæ iuſti impedimēti ſicut præmiſſum eſt, cōputerut prębendato in termino octo annorū quos habeat ad permanēdū in collegio.

¶ *De miſsione præbendatorum extra collegium.* II.

STatuimus inſuper, ꝙ ſi pro negocijs Collegij opus ſit mittere aliquem præbendatum vel capellanum de minoribus extra collegium, teneatur Rector conuocare clauſtrum, in quo clauſtro electus ad huiuſmodi negocia, teneatur acceptare legationem etiam ſi ad Romanam curiam mittatur, ſub pena expulſionis á collegio. Poſtquàm vero acceptauerit legationem teneatur collegium prouidere ei de pecunijs neceſſarijs ad victum, & de iumento, & famulo & cæteris quæ occurrerint prouidēda, ita ꝙ expenſæ quotidianæ taxentur ei hoc modo. Quod ſi mittendus debeat gerere negotia domus intra regnum, non poſſit ei aſsignari niſi vſque ad tres argenteos ad ſummum pro quolibet die, præterquàm in curia, vbi poterit aſsignari vſque ad quatuor, ſi vero mittatur ad curiam Romanam, aut ad aliū locum extra regnum, tunc poſsit ei dari ad ſummum vſq; ad quinq; argenteos pro quolibet die, dum modo vbicunque ſteterit habeat iumentum & famulum & infra præfatas ſummas poſsint Rector, & cōſiliarij taxare quotidianas expenſas habito reſpectu ad abundantiam temporis & qualitatem loci quo mittitur, nec ei vltra ſummam taxatam aliquid recipiatur in computum. Quod ſi aliquando minores expenſas fecerit, teneatur reſiduū reddere collegio ſuper quo eius conſcientiam oneramus. & totum illud tempus ſuæ abſentiæ pro gerendis huiuſmodi negotijs non computetur ei in loco abſentiæ ſuorum quatuor menſium, quos habet per annum, nec computetur in tempore octo annorū. Et vt fraus omnino in huiuſmodi miſsionibus caueatur, Volumus ꝙ rector vel aliquis ex conſiliarijs ad hoc non eligantur, niſi duabus partibus collegialium videretur per aliquē ex eis vtilius & honorificentius, quàm per aliquem alium poſſe ipſius collegij

legij & vniuerſitatis negotia procurari, Et ad tales vſus volumus ꝙ colle-
gium habeat vnam mulam,ſiue honeſtum iumentum cuius curam gerat
vnus ex familiaribus,et vt pro negotijs domus cum neceſſe fuerit nō deſit,
prohibemus omnino quòd nec Rector,nec totum clauſtrum,præfatum iu-
mentum,vel mulam,collegialibus,nec alicui perſonæ mundi poſſit com-
modare. Sed dūtaxat abſq; aliqua fraude & dolo,pro negotijs ipſum colle-
gium ſolummodo concernentibus eo vtantur,quicunq; vero contrarium
fecerint,vltra omnimodam ſatisfationem damni & intereſſe ad quā omni
no teneantur,eo ipſo perdat veſtuarium illius anni,vel eius extimationem
quoties contrauenerit.

¶ *De electione Familiarium.* XII.

STatuim' etiā, quòd cum vacauerit locus alicuius familiaris eligatur a-
lius in familiarem ad votum omnium Collegialium.Modus autem eli-
gendi ſit per cedulas præcedenti diligenti informatione, inter ipſos Colle-
giales ſuper vita & moribus eligendi.Et ille habeat pro electo qui plura vo
ta habuerit,Sed ſi duo aut plures equalia vota habuerint,tum ſorte dirima-
tur,Qui autem repertus fuerit literas cōmendatirias vel preces pro ſuo in-
greſſu procuraſſe,eo ipſo efficiatur inhabilis talis oppoſitor ad familiaria-
tum pro illa vice.Locus vero & tempus iſtius electionis, relinquitur arbi-
trio Rectoris,dummodo futuri familiaris electio vltra octo dies non diffe-
ratur,niſi de conſenſu clauſtri propter aliquam rationabilem cauſam. Fa-
miliaris autem nō poſsit permanere in familiariatu vltra duos annos præ-
ciſſe,quibus finitis vacabit locus ipſius,ſed poterit iterum ſe opponere,nō
tamen admittatur,niſi ex conſenſu duarum partium clauſtri:familiarium
abſentia ſit ad arbitrium Rectoris,dummodo vltra duos menſes non diffe-
ratur tēpus ipſius abſentiæ quolibet anno, ſiue ſimul, ſiue interpolatim,
quam licentiam non concedat Rector,niſi pro cauſa iuſta & honeſta. Fini-
tis verò præfatis duobus menſibus,familiaris adhuc abſens perdat locum
ſuum in collegio.Hi autem familiares erunt ſubiecti Rectori, adeò vt etiā
ad propria negotia poſsit illis vti in hoc oppido. Et quandocunq; Rector
extra collegiū,& intra ambitum loci exierit poſsit ſecū ducere vnum fami
liarem vltra ſocium præbendatum vel capellanum.Quilibet iſtorum fa-
miliarium poterit expelli à collegio per Rectorem quando viderit expedi
re,etiam ſi nullum delictum cōmiſſerit,dummodo fiat de conſenſu Conſi
liariorum & non alias.Si tamen repertus fuerit aliquod crimen vel delictū
cōmiſiſſe expellatur à collegio.In leuibus autē poterit Rector,citra pœnā
expulſionis pro arbitrio ſuo ipſum caſtigare vel punire omni prorſus ap-

pellatione poſtpoſita. Præterea nullus eorum qui antea fuerit familiaris alicuius ex collegialibus, vel ex alijs quibuſcunq; in collegio cõmorantibus poſſit admitti ad familiariatum. Familiaris autem qui poſt feſtũm ſancti Lucæ, ad familiariatum admittitur recipiat pro ſalario partem quæ pro rata temporis ei debebitur ſecundum onus aut officium ſibi iniunctũ vt ſuperius dictum eſt.

¶ *De Portioniſtis neceſſario in Collegio recipiendis.* XIII.

ORdinamus etiam ꝙ ad honorem domus & augmentum exercitij literarum, Rector & Conſiliarij teneant accipere intra collegialiũ clauſuram habiles & honeſtos ſcholares tot quot cameræ ſuper excreſcentes capere poterunt, quos volumus appellare portioniſtas, nec aliquem qui fuerit ſic qualificatus deſinant in portioniſtam admittere ſub excõmunicationis penna, quam ſi ſecus fecerint eo ipſo incurrant. Qui aſſumendi ſic in portioniſtas teneantur dare operam ſummulis vel logicæ, ſeu phyſicæ aut theologiæ, & ſi ſecus fecerint expellantur ſtatim à collegio. Præfati verò portioniſtæ ſubiaceant Rectori ſicut præbendati, & comedant in mẽſa refectorij, & ſedeant poſt collegiales & capellanos, & cõmorentur in alijs cameris collegij, ſeorſum à collegialibus, niſi propter alicuius ipſorum dignitatem, merito fuerit inter collegiales arbitrio clauſtri vel maioris partis ipſius collegij collocandus. Poſsint tamen inter eos commorari aliqui collegiales, qui eos regant ad arbitrium Rectoris & Conſiliariorum. Inter præfatos etiam portioniſtas in ſuis ſeſſionibus, ſeruetur ordo quem inferius decernimus inter præbendatos obſeruari hoc excepto, ꝙ ſacerdotes inter eos ſi qui fuerint præferantur cęteris portioniſtis non graduatis, & non liceat eiſdem exire à collegio abſq; licentia Rectoris, ſed non aſtringatur ire aſſociati, teneantur legere in menſa ſuo ordine, non tamen obligentur ad reliqua officia domus præterq̃ ad opera officioſa & virtuti conſentanea. Et teneatur quilibet portioniſta ſoluere ſingulis annis viginti ducatos auri quæ ſumma vel pretiũ, nunq̃ poſſit minui, poterit tñ augeri, pro qualitate tẽporis & victualium penuria & cariſtia ad arbitrium Rectoris, & Cõſiliariorũ, ſed nunq̃ cenſeatur penuria ſeu cariſtia aliqua, niſi quando faneca frumenti exceſſerit valorem vnius floreni auri de aragonia, & tunc Rector & Conſiliari non poſſint arbitrari, ſiue augere vltra quinq; ducatos, ſuper præfatã ſummã viginti ducatorũ, & ceſſante dicta penuria, nullatenus poſsint exigere vltra pręfatos viginti ducatos. Et ne portioniſtæ in præſtãdo fideiuſſores pro prędicta ſumma ſoluenda grauentur, volentes eorum & collegij in ſimul indemnitate cõſulere. Ordinamus ꝙ ante q̃ recipiantur ſoluant tertiam

tiam partem, prædictæ ſummæ, deinde, lapſis primis quatuor mẽſibus ſoluant aliam tertiam partem, & in fine octo menſum, à die receptionis ipſorum ſoluant reſiduum totius ſummæ, ꝙ ſi aliquis elapſo primo tertio non ſoluerit totam quantitatem ſecundi, & elapſo ſecundo non ſoluerit totam quantitatẽ vltimi tertij expellatur à collegio, nec poſſit expectari niſi per vnum aut ſaltim duos dies dumtaxat, quã ſolutionẽ realiter, & cũ effectu facere teneantur omni fraude, ſimulatione ceſſante alias ſi contrariũ factum fuerit Rector teneatur ſatisfacere collegio præfatam ſummam, & nihilominus pro prima vice ſoluat tres florenos, pro ſecunda duplicetur, pro tertia amittat veſtuariũ illius anni, & vt materia euagendi præfatis portioniſtis magis tollatur, & nutricationes rationum euitẽtur ſtatuimus, ꝙ poſtꝗ aliquis ex portioniſtis cœperis reſidere ſiue in initio ſuæ receptionis, in principio cuiuſlibet tertij per quantuncunq; paruum tempus ſteterit, etiam ſi per diem, ſi poſtea ſe abſentauerit, teneatur ad omnimodam ſolutionem totius tertij, aç ſi præſens interfuiſſet, ita ꝙ pro tẽpore cuiuſlibet abſentiæ nihil diminuatur collegio, nec ipſi aliquid reddatur de præfata quãtitate, ſub dictis penis, nec concedat Rector alicui ex præfatis portioniſtis licentiam ab eundi extra oppidũ priusꝗ is qui petit, præſentauerit Rectori cedulam ſubſcriptam nominibus diſpenſatoris maioris & ſcribæ collegij, cui incumbit dies ingreſſuum portioniſtarum, & eorundem ſolutiones ſcribere per quam conſtet ꝙ vterq; illorum ſcripſit in ſuo libro dies diſceſſus huiuſmodi portioniſtæ, ſub penis in conſtitutione vndecima de abſentia collegialũ & capellanorum contentis Pro prædicta autem pecuniarũ quãtitate recipiat quilibet à collegio portionẽ ſicut præbendati. Prouideatur etiã eis de cameris cũ ſuis clauibus, lectulis ligneis, cũ ſuis funibus & menſa & ſubſelio & ſcamno, tonſore, & lotrice ſicut collegialibus, & quoties cõtigerit aliquem vel aliquos ipſorũ ęgrotare, prouideatur eis de medico, ſed non dabũtur medicinæ, permanebit autẽ quilibet portioniſta in collegio, vſq; ad finẽ ſui curſus artium, ſi fuerit artiſta, & ſtudendo theologiam, poterit etiã manere per alios quatuor annos & non vltra, præterꝗ ſi ingrediatur curſum theologorũ cũ alijs ſui tẽporis, nã tunc poterit manere intra domum vſq; ad magiſteriũ in theologia. Si verò fuerit Regẽs poterit manere in collegio, toto tempore quo regentauerit. Et nõ poſſit expelli à collegio, niſi de conſenſu duarũ partiũ clauſtri, & iuxta cauſa interuenięti, ſi tñ aliquis ipſorũ fuerit abſens à collegio vltra ſexaginta dies continuos vel interpolatos in vno anno, eo ipſo camera ſua poſsit tradi alteri, ſi vero fuerit abſens per quatuor menſes ipſo facto perdat, etiã locũ in menſa refectorij. Et ſi abſuerit vltra annũ & voluerit iterũ recipi ſoluat pro ſuo ingreſſu ac ſi denuo reciperetur. Et inſuper præfati portioniſtæ nõ poſsint habere portiones ſuas extra refecto-

rium.Omnes autem & ſingulæ perſonæ de nouo in collegio receptæ, ſiue ſit præbēdatus, ſiue capellanus vel portioniſta, in ſuo primo ingreſſu tenea tur dare aliquid, pro melioratione portionis, ita tamen ꝙ Capellanus maior aut præbendatus non dent minus q̃ duos ducatos, portioniſtæ autē aut Capellanus minor non minus q̃ vnum. Sed nullo modo poſsint vltra prædictam ſummam dare, nec ad id poſſint compelli, & hoc ſit ad euitādas maiores expenſas quæ in talibus caſibus fieri ſolent, volumus inſuper & diſtricte iniungimus Rectori ꝙ ſaltem ſemel in menſe teneat capellam præfatis portioniſtis, vt eos poſſit inſtruere tam circa mores, habitum & honeſtatē, quàm etiam circa ſtudium, atq; alia quæcunq; viderit corrigenda.

¶ *De Cameriſtis & ſocijs Cameriſtarum ac tredecim pauperibus eligendis.* XIIII.

AD maiorem inſuper dilatationē doctrinæ & exercitij ſcholaſtici in noſtro collegio, ſtatuimus ꝙ in ędificio ſiue cōpluuio, ꝙ vulgo dicitur patio, noſtri collegij, quod vergit verſus meridiē, ſint tredecim pauperes ſcholares qui vocētur cameriſtæ, & iſti ſint logici vel ad minus ſummuliſtæ, & eligantur arbitrio Rectoris & Cōſiliariorū habēdo reſpectū ad bonā habilitatē & eruditionē eorū, ſic ꝙ cęteris paribus, pręferatur ille qui fuerit altioris lectionis. Electus in cameriſtā durabit per duos annos, in ſuo loco, quibus finitis vacabit, ſed poterit iterū ſe opponere, & cæteris paribus præferatᷣ alijs oppoſitotibus, ſed finitis iterū duobus annis nō poterit amplius eligi in cameriſtā, niſi per quatuor annos ad ſummum, & quilibet iſtorū habebit annuatim à collegio elemoſynā duorū florenorū auri, & ſubiacebunt iudicio & correctioni Rectoris ſine aliqua appellatione. Expelli tñ à collegio nō poſſint, niſi de cōſenſu Cōſiliariorum, habebit autē Rector ad ſui exonerationē conſtituere vnū viſcerectorē pro cameriſtis qui ſit de numero ipſorū. Et volumus etiā, ꝙ cū eiſdē cameriſtis, & in ſuis cellis collocentur alij ſcholares pauperes qui vocentur ſocij, & iſtorū nō ſit determinatus numerus, ſed ſint tot quot camere ipſe poterūt capere cōuenieter, & ſint ad minus ſūmuliſtæ. Hi etiā obſeruabūt cōſtitutiones ſupradictas cameriſtarū, & erunt ſubiecti correctioni Rectoris, vel vicerectoris ſicut cameriſtæ, & nō habeāt in collegio niſi cameras gratis. Ordinamus inſuper ꝙ vltra prędictos ſocios vel ex eis ſi videretur ſint continuo tredecim pauperes artiſtæ, qui ad minus ſin ſummuliſtæ, & eligātur ad arbitriū Rectoris & Cōſiliariorū, in quorū electione præferātur illi qui fuerint honeſtiores, & doctiores, quibus quotidie dentur fragmēta panis, & reſiduum carniū, & aliorum ciborū totius refectorij, cū brodio. Cū quibus prouiſis ſi aliquid ſuperfuerit, detur alijs ſcholaribus

bus pauperibus indifferenter. Hi verò tredecim nulli prorſus ſeruiant niſi collegio in communi, vt magis ſtudio literarum proficiant.

¶ *De hora prandij & cenæ & de modo ſeruiendi ad menſam & lectione ibidem facienda.* XV.

STatuimus & ordinamus, quod per ſingulas hebdomadas ponantur in mēſa refectorij mantilia munda, & mapæ ſiue paniculi mundi, & quoti die tempore prandij & cenæ, diſtribuantur ſingulis Rectori & capellanis, & collegialibus, ſingula vaſa argentea ponderis vnius marchæ & certæ formæ, quæ nos eidem collegio largiti ſumus, vt in eis decentius in refectorio collegialibus pocula miniſtrarentur, quorum cuſtodia per Rectorē & Conſiliarios cōmittatur illi, qui poſtremo ad prebendam, vel capellaniam rece ptus fuerit, ſiue alicui alteri ex collegialibus, vel capellanis, ꝑut eis melius, & cautius videbitur prouidēdū, portioniſtis tñ prouideatur ſemel de ſingu lis vaſis vitreis, liceat tamen eis habere ſuis expenſis ſingula vaſa argētea dūmodo ſint eiuſdem ponderis & formæ vaſorū collegij prædictorum, detur & vnicuiq; gladius, & ſalinum, ac vrceus aquæ, quæ omnia æqualiter & cōmuniter diſtribuātur omnibus ſedētibus ad mēſam, vt pręmittitur, & omnes eodē cibo & æquali portione, ac eodē modo præparata vtātur, ſed ſi venerint poſt miniſtrationem cuiuſcunq; ferculi, perdant pro illa vice fercula, ſiue fructus qui fuerint miniſtrati, ita ꝙ non ſpectentur ſed omnes in ſimul ſurgant à menſa, nec pro illa vice aliquid amplius eis miniſtretur. Hora autem prandij & cenæ varietur iuxta diuerſitatem temporum pro arbitrio Rectoris & Conſiliariorū. Pręterq̃ ſi aliquando maiori parti clauſtri aliter viſum fuerit, cæterum nulli præbendato, vel capellano, aut portioniſtæ, nec alicui alteri detur, aliquid de ſua portione extra refectorium, nec eis liceat quouiſmodo recipere, nec aliqui eorum poſſint intereſſe, vel cū quocunq; extraneo quātūcunq; cōſanguineo vel coniuncto in ſuis cellis, vel alibi intra collegium in ſimul prandere, vel cenare, aut alia quæcunq; conuiuia vel collationes quouiſmodo facere, ſub pęna ꝙ quicunq; dederit, vel receperit aliquid de ſua portione extra refectorium, vel ſimul cum altero extra refectoriū in collegio (vt pręfertur) comederit, ſi fuerit collegialis vel capellanus, pro prima vice priuetur ordinaria portione per menſem, pro ſecūda verò perdat veſtuariū illius anni, pro tertia autem expellatur à collegio, ſed ſi fuerit ex portioniſtis, ꝓ prima vice priuetur portione quindecim dierum, pro ſecunda vero vnius menſis, pro tertia verò expellatur à collegio. Si autem fuerit ex familiaribus, ſtatim expellatur à collegio, nullatenus in eo amplius admittendus. Familiares inſuper capite detecto ſeruiāt menſæ, qui

poſt primam mēſam Rectoris,collegialiū,& capellanorū, ac portioniſtarū comedant, & ſedeant iuxta ſuas antiquitates in mēſa inferiori,inter familiares autem deputentur duo,aut plures qui diuidant portiones,aſſiſtatquē eis ad ordinationes & diuiſiones portionis,collegialis,vel capellanus ex minoribus vltimo in collegio receptus,cum quo teneatur adeſſe per duos primos menſes ille,qui idem officium vltimo exercebat. Et familiares deputati pro diuiſione portionum ſint ijdem ipſi,qui cibos condiēndos,appenſos libratos coquo tradiderint,vt poſſint deprehēdere an in ratione dati & accepti fraus ſiue diminutio aliqua interueniat,quod ſi caſu compererint, teneantur familiares ſub pœna expulſionis Rectori ſtatim reuelare : cuius arbitrio delinquentes in hoc debite puniātur. Ordinamus inſuper, ꝙ durāte prandio,vel cena in refectorio non deſit lectio ſpiritualis,ſed tēpore prādij legatur ordinarie lectio de Biblia, & tempore cenæ poſſint legi alij libri ſanctorum,& aliorū doctorum,qui ſint de approbatis ab eccleſia pro arbitrio Rectoris,& Conſiliariorum:ad præfatas verò lectiones vt prefertur, in menſa legendas teneantur capellani,& collegiales,& portioniſtæ ſucceſſiue per ſuas hebdomadas,incipiendo ab eo qui vltimo fuerit receptus, exceptis Rectore,& Regētibus,& doctoribus in theologia,in abſentia verò Rectoris vel Vicerectoris ad collegialem qui in emmētiori loco ſedet ſpectet facere ſignum in menſa,quādo lector ceſſare debeat à lectione, & cū finitū fuerit prandium,vel cena, facere etiam ſignum ad gratias perſoluendas, & quia in pronunciatione lectionis ad menſam, poſſet cōtingere aliquem ex lectoribus incongrue, ſiue minus erudite proferre, id circo huiuſmodi defectus qui acciderint in legendo corriget,& emendabit antiquior ex Regētibus in theologia, ibidem exiſtētibus,& in eorum abſentia antiquior ex magiſtris in theologia,quibus abſentibus, emendabit lectorē antiquior ex Regentibus artium. Et deinde baccalarij formati in theologia,& poſtea cæteri magiſtri,in artibus,ſecundum ſuas antiquitates,& poſt eos cui Rector cōmiſſerit. Caueant autē omnes ad mēſam ſedētes, & etiā omnes familiares ſeruientes,ab omni ſeditione,& murmuratione, & ſcādalo, & ſtrepitu, vt legens attente ab omnibus audiatur,ſub pœna,pro qualitate rei,& temporis, ac perſonarum acriter arbitrio Rectoris imponenda,& exequenda. Nemini etiam ex omnibus,qui in noſtro collegio pro tempore reſidebunt, liceat coquinam , vel alia cellaria victualium intrare , illis dumtaxat exceptis,quorum intererit ratione officiorum ſuorum in cellarijs ipſis verſari,vel coquinam ad præparandos & condiendos cibos intrare,teneantur tamen præfati officiales,ſuas officinas claudere,ſub pœna per Rectorē imponenda. Qui verò præter iſtos officiales in eaſdem officinas, vel aliquam ipſarum,ingreſſus fuerit, tam collegialis, vel capellanus, vel portioniſta,

priuetur

priuetur vino per illum diem, vel etiam ſi Rectori videbitur tota portione illius diei. Permittimus tamen, q̄ in tempore hyemis liceat eis paulò ante horam prandij & cenæ, habere ignem ad ſe calefaciendum in aliquo decenti loco omni modeſtia ſeruata, in refectorio vero nullatenus prunæ incendantur.

¶ *De ordine ſedendi ad menſam, & portionibus diſtribuendis.* XVI.

AD tollendas ambitiones circa locorum honores, volumus, q̄ immediate poſt Rectorem, qui tam in menſa, quàm in clauſtro debet habere ſupremum, & honoratiſſimum locum, & in omnibus alijs actibus & negotijs, cum ipſe ſit caput omnium aliorum, ſicut præmiſſum eſt, à dextris & ſiniſtris ipſius, conſequẽter ſedeãt collegiales regẽtes theologi, vnuſquiſq; iuxta prioritatem aſſecutionis ſuæ regentiæ, deinde cæteri doctores theologi, ſecũdũ ſuas antiquitates, in gradu ſuſcepto in hac vniuerſitate, & ſucceſſiue magiſtri regentes artium collocentur ſecundum ſuas antiquitates in regentia huius vniuerſitatis, poſtea duo capellani maiores propter honorem ſui officij, & deinde cæteri præbendati, & ſacriſta maior, & capellani minores inter quos volumus, q̄ præcedãt graduati, dum tamẽ fuerint graduati in hac vniuerſitate, & inter graduatos præferantur illi, qui habent ſuperiorem gradum. Ita q̄ bacchalarius formatus in theologia, præcedat magiſtro in artibus, magiſter bacchalario theologo non formato, poſt iſtos autẽ nemo reputetur graduatus quantũ ad ordinem ſedendi, & præcedendi, etiam ſi ſit inter eos bacchalarius, vel licentiatus in artibus, ſed inter graduatos æquali gradu præcedat antiquior in gradu acepto in hac vniuerſitate. Prębendati verò & ſacriſta maior, ac capellani minores non graduati ſedeant, prębendati inter ſe, & capellani inter ſe poſt ſacriſtam maiorẽ, iuxta ordinem ſuarum antiquitatum. Sed ſi aliquis gradũ magiſterij ſeu bacchalarij formati acceperit, mutet locum, aſcendens ſuperius ſuper non graduatos, et ſi eſſet poſterior in aſſecutione præbẽdæ, & iuxta ordinem prædictũ ſeſſionis, ſeruetur ordo præcedẽdi in omnibus alijs actibus, & negotijs: volumus tamen, q̄ in primo anno ſui ingreſſus ſedeant graduati tam in refectorio, q̃ in clauſtro ſecundum ordinẽ ſuarũ receptionũ, non habito reſpectu ad gradũ, tranſacto verò anno aſcendant iuxta qualitatem ſui gradus. Nec poſſit aliquis renunciare præeminentiæ ſuæ gradus. Qui verò huiuſmodi renũciationem exegerit, aut in clauſtro propoſuerit, eo ipſo ſit excomũnicatus, & expellatur à collegio, pręterq̃ ſi talis electus illo primo anno gradum doctoratus in theologia conſequtus fuerit, aut regentiam aliquã

noſtræ vniuerſitatis,nam in illo caſu ſtatim aſcendat ad locum ſibi debitum ſecundum tenorem noſtræ conſtitutionis.Et idē volumus, ſi aliquis regens ad præbendas noſtri principalis collegij fuerit admiſſus. Ordinamus inſuper,ꝙ vnuſquiſq; capellanus,collegialis, aut portioniſta habeat in menſa refectorij panem & vinum ad ſobriam ſaturitatē, ita ꝙ per diem non poſſit dari vnicuiq; ad ſummū,niſi medietas menſuræ vini, quæ vulgo açumbre dicitur,nec diſpenſatori amplius poſſit recipi in computum, & in diebus carnium libra cum dimidia de carnibus arietinis, pro prādio ſimul & cena.Teneatur etiā collegium prouidere menſe de ſale, aqua, carnibus ſuilis,infra deſignatis,& de oleribus,& fructibus, ſic, ꝙ in oleribus, & fructibus diſpēſator pro ſingulis triginta comedētibus ad menſam, poſſit expendere argentum vnum cum dimidio. Nec amplius quouiſmodo, vel pro quibuſcunq; alijs ſedentibus erogare poſſit. In diebus verò quibus eſus carnium prohibetur,loco carnium ſuccedant piſcamina, vel oua, aut alia quę permittuntur in talibus diebus in eodem precio.Et quia in ſimilibus diebus, vt plurimum fieri ſolent maiores expenſæ,pro condimentis ciborum,volumus ꝙ vltra argentum vnum cū dimidio,quod in diebus carnium dabitur pro oleribus,& fructibus(vt dictum eſt)addere poſsint pro oleo,aceto,melle,butiro,leguminibus,oleribus,fructibus, ſpeciminibus, ac alijs quibuſcunq; condimentis,& ſculentis,reſpectu ſingulorum triginta prædictorum aliud argentum cum dimidio.Ita ꝙ vltra prædicta tria regalia nil amplius quoquomodo expendi poſſit.Portio vero familiarum & ſeruitorum ſit aliquanto minor iuxta bonum iudicium Rectoris & Conſiliariorum,fragmenta vero panis,& reſiduū carnium, & aliorum ciborum totius refectorij diſtribuantur quotidie illis tredecim pauperibus, de quibus ſupra diſpoſitum eſt:Sed in die Natiuitatis dominicæ, cū duobus diebus immediate ſequentibus,& in primo die Paſchæ reſurrectionis, & Penthecoſtes,& in feſtis natiuitatis,annunciationis,& aſſumptionis beatiſſimæ virginis Mariæ,& die natiuitatis ſancti Ioannis baptiſtę,& in die ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli,& ſancti Iacobi, & ſancti Illefonſi, & ſancti Nicolai,& in die ſancti Franciſci,in omnibus prædictis feſtis & ſolēnitatibus,tātummodo liceat eis meliorare portiones duplicādo ſumptos, & expenſas portionum carnium,vel piſcaminū talis diei dūtaxat,& expēdatur in cibos quos Rector & Cnoſiliarij decreuerint miniſtrādos. Cæterū vt Rector & Cōſiliarij regimini & gubernationi domus vigilātius intēdāt, volumus ꝙ per ſingulos annos teneātur facere prouiſiones victualiū,& aliarū rerū collegio neceſſariarū,debitis tēporibus,ita tamen,ꝙ pecuniæ in huiuſmodi ꝓuiſionibus expēdendæ,correſpōdeāt ſumptibus ordinarijs ſuperius taxatis,& nō vltra inter quę teneātur emere porcos prouiſioni domus

neceſſarios

neceſſarios, pro quibus emendis poſsit ad ſummũ expẽdi quãtitas quadra ginta florenorũ, & nõ amplius etiã quantuncunq; creuerit numerus portioniſtarum. Quæ omnia, vt facilius, & equiori precio comparari poſsint, emantur, vel in nundinis, aut alijs oportunis tẽporibus. Sed ſi in his, & ſimilibus negligenter ſe habuerint, teneantur reſtituere collegio dãnum, ꝙ propter eorum negligentiam idem collegium incurrerit arbitrio deputatorum, & viſitatoris moderandum.

¶ *De electione Camerarum, & ꝙ ſinguli collegialium ſoli habitent in cellis.* XVII.

PRopter honorem officij Rectoris volumus, ꝙ ſit vna determinata camera pro Rectore, illa videlicet quæ eſt immediate ſuper locum depoſiti ad quam infra triduum poſtquàm fuerit electus veniat, & dimittat Camerã in qua antea quàm fuiſſet electus in Rectorẽ habitabat pro vſu collegij, & pro habitatione alterius collegialis, aut capellani maioris ad tempus ad quam poſsit, finito Rectoriæ tempore reddire. Sed qui in eam habitauerit ſine difficultate cedat, quia nollum⁹ ꝙ aliquis in collegio occupet duas cameras ſimul. In cæteris tamen cameris collegij liceat ipſis collegialibus optare, ſiue eligere cameras cũ vaccauerint iuxta ordinẽ ſuarũ ſeſsionũ in refectorio, capellani vero maiores tantummodo propter honorẽ ſui officij & propter neceſsitates quę occurrere poſsint, habent duas cameras in duabus diuerſis habitationibus, & dormitorijs collegij quæ ſint latiores, & commodioris cæteris, vt facilius cuiuſuis temporum copia occurrente neceſsitate haberi poſsit ad quos tanquàm ad proprios ſacerdotes volumus omnes & ſingulos habitantes in collegio recurrere ſicut ſuperius eſt diſpoſitum. Sacriſta vero maior, & alij nouem Capellani minores habeant ſuas cameras prope ſacriſtiam, & ambitum eccleſiæ ſancti Illefonſi vt premiſſum eſt. Cæterum quilibet ex capellanis, & collegialibus propriã habeant cellam in qua dormiat ſolus, & qui contrarium fecerit, tã recipiens, quàm receptus acriter puniatur arbitrio Rectoris, niſi quando aliquis tali eſſet infirmitate detentus propter quam Rectori videretur merito cum eo diſpenſandum.

¶ *De clauſura domus, & ꝙ nemini liceat extra collegium pernoctare.* XVIII.

ORdinamus inſuper, quòd omnes collegij fores claudantur per vnum familiarem ad hoc officium deſignatum, hoc tamẽ ſeruato ordine, ꝙ

ianua maxima quæ ſpectat ad ſeptentrionem claudatur ſemper in crepuſculo noctis. Ianua autem ad meridiem vergens, qua eſt exitus ad compluuium cameriſtarum non ſemper eadem hora, ſed diuerſis horis per diuerſa anni tempora claudatur: à feſto enim ſancti Lucæ, vſq; ad feſtum purificationis virginis: obſeruetur hora ſeptima noctis: à feſto autem purificationis vſq; ad penthecoſtē trudatur hora octaua: à penthecoſte vſq; ad feſtum aſſumptionis virginis claudatur hora nona: ab aſſumptione, vſq; ad ſanctum Lucam iterum claudatur hora octaua, ſed per quartam partem horę ante clauſuram ipſius ianuæ, pulſetur campana maior & paulò antequàm claudatur, fiant nouem pulſationes ad oſtium, vt exeant habitantes extra collegium: ſiqui tunc in domo fuerint: clauſa tamen prima ianua donec ſecunda claudatur, ſemper aſtet eidem ſecundæ præfatus familiaris ianitor, vt videat intrantes & exeuntes, & ſi aliquod indignum collegio viderit teneatur ſtatim illud reuelare Rectori ſub pœna periurij. Eiſdem etiam horis ſecundum diuerſitatem temporum claudatur ianua cameriſtarum, quę occidentem reſpicit, nam alia quæ ad orientem vergit ſemper debet manere clauſa, niſi quando viſum fuerit Rectori, quòd pro aliquibus prouiſionibus, vel quibuſcunq; alijs neceſſarijs oporteat, ſiue deceat aperiri. Poſtquã vero collegij fores totaliter fuerint clauſę, præfatus ianitor tradat illarũ claues iuniori Conſiliario, ſub pœna carcerationis per Rectorem infligenda. Idem etiam Conſiliarius teneatur poſtquàm receperit claues viſitare clauſuram forium ſub pœna priuationis portionis vnius hebdomadæ. Sed ſi caſu accidat, quòd aliquis extraneus in domo permanſerit poſt clauſuram forium nequaquàm liceat ei pernoctare in collegio, nec aperiatur ianua, vt exeat, ſed per feneſtras cum corda mittatur deorſum, ſi quando verò contingerit, quòd poſt talem clauſuram domus, ingruat aliqua neceſsitas puta pro medico, vel medicinis, aut alijs ſimilibus quæ ſine periculo euitari vel differri non poſsunt: Tunc præſente Rectore & Conſiliarijs poſsit aperiri ianua cameriſtarum, videlicet quæ vergit ad occidentem, & alia ianua collegij quę eſt verſus meridiem, qui autem præter hunc modum, & ordinem aliquam ianuam ex prædictis reſerare attentauerit, ſtatim expellatur à collegio, nunquàm amplius in eo admittendus. Nullus inſuper collegialis, capellanus, portioniſta, aut cameriſta noſtri collegij, in oppido exiſtēs audeat extra ipſum pernoctare, alias ſi poſt clauſuram domus, horis ſupra determinatis extra ipſum pernoctauerit: Si fuerit capellanus, aut collegialis, pro prima vice ieiunet in pane & aqua primis tribus diebus ſequentibus, & pro ſecunda priuetur portione collegij per menſem, pro tertia verò nocte expellatur à collegio, Portioniſtę autem, & cameriſtæ in hoc caſu puniantur arbitrio Rectoris, attenta ætate, & qualitate perſonarum.

¶De

¶ *De exceſsibus Rectoris & Conſiliariorum atq; colegialium, & capellanorum & aliorum officialium.* XIX.

SI Rector, vel Conſilirius, vel quiuis alius officialis de Collegio, aliquod enorme, vel graue delictum in præiudicium Collegij, vel vniuerſitatis, vel contra eius commune bonum, aut contra honeſtatem perſonarũ ipſius attentauerint: Præcipimus, quòd quicunq; de collegio, & vniuerſitate hoc ſciuerit, ſub pœna excomunicationis, quam contrafaciendo ipſo facto incurrat, ſtatim teneatur illud referre in clauſtro, clauſtrum verò omnibus modis, quibus poterit ſe informet de veritate, & ſi quis prædictorum repertus fuerit culpabilis, per huiuſmodi informationem puniatur delinquẽs priuatione officij, vel expulſione à collegio, vel alia pœna, prout qualitas delicti, vel negocij exegerit, habita conſideratione ad qualitatem perſonarum, & officiorum, dum tamen per clauſtrum, vel ſaltem de conſenſu duarum partium ipſius iudicetur: ſi autem (quod abſit) contingat aliquem Collegialem, aut Capellanum, vel portioniſtam, lapſu carnis cum muliere ſe immiſcere, & hoc legitime conſtiterit Rectori, & Conſiliarijs expellatur à Collegio, cui pene ſubiaceat conſcius, & conſors ipſius delicti. Cameriſtæ autem pro tali exceſſu legitime probato, expellantur per Rectorem, & Conſiliarios. Præterea, ſi aliquis præbendatus, vel capellanus, vel portioniſta, cameriſta, vel ſocius, aut familiaris Collegij, alteri iniuriam irrogauerit publice aut priuate, Rector ad arbitrium ſuum corrigat delinquentem, acrius tamen caſtiget minorem inferentem aliquam iniuriam maiori, quà maiorem, qui eandem minori iniuriam intulit, attenta qualitate perſonarum, & cæteris circunſtantijs ſi quis autem ſuadente diabolo, manus violentas in alium iniecerit, aut ſanguinem effuderint, vel arma contra aliquem extraxerit, expellatur à Collegio, vel ſecundum ſuę perſonæ conditionem puniatur, dum tamen præbendati, & capellani per totum clauſtrum iudicentur, portioniſtæ autem, & alij inferiores extra Collegium habitantes puniantur arbitrio Rectoris, & Conſiliariorum, contendentes autem verbis, leuiter per Rectorem, coaſſumptis aliquibus de antiquioribus Collegij adinuicem reconcilientur: ille autem, qui fratri ſuo reconciliari noluerit, expellatur à congregatione aliorum tam in menſa quàm in clauſtro, ſed ſi vltra tres dies perſtiterit in ſua pertinatia, expellatur à Collegio: Si autem aliquis prædictorum Rectori verbo, vel facto iniuriam intulerit, aut inferre præſumpſerit, arbitrio ipſius Rectoris priuari poſsit ordinaria portione per menſem præciſſe ſine appellatione, grauiorẽ verò pœnam niſi de conſenſu

Conſi-

Conſiliariorum vel eorum maioris partis infligere non poſſit. Teneatur autem Rector cum aliquem punierit, manifeſtare ei delictum, propter quod talem ſibi inferat pœnã. In alijs vero pœnis à Rectore imponendis, ſi exceſſerint viginti dies, poterit taliter punitus habere recurſum ad Conſiliarios, ad quos pertineat, & habeant poteſtatẽ in ſimili caſu pro ſuo arbitrio mõderandi, vel addendi, aut confirmandi pœnam conſtito ſibi ſimpliciter de veritate.

¶ *De pœnis contra furantes vel ſurripientes aliquid de bonis Collegij.* XX.

STatuimus inſuper & ordinamus, vt quęcunq; perſonæ, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, conditionis, vel præeminentiæ exiſtant, ſiue ſint noſtri collegij, vel vniuerſitatis, vel quæcunq; aliç perſonæ vndecunq; ſint, eo ipſo ꝙ bona noſtri collegij, quouis modo occupare, vel illicite contractare, ſiue detinere, vel inuadare, aut furto ſubtrahere prçſumpſerit, vel attentauerit, vltra pœnas a iure ſtatutas, ſententiam excommunicationis incurrant, à qua nõ poſſint abſolui niſi per Rectorem, & præmiſſa ſatisfatione rei ſublatç, vel indebite occupatæ, ſiue inuaſæ, ꝙ in omnibus ſententijs, & cẽſuris in his noſtris conſtitutionibus contentis, volumus obſeruari, vt niſi per Rectorem, & pręmiſſa integra ſatisfatione, nullatenus poſſit abſolui. Et in ſuper, ſi fuerint de perſonis præfati noſtri collegij, vel vniuerſitatis, ab eodem collegio, & vniuerſitate expellantur, & eandem ſentẽtiam decreuimus incurrere, quicunq; nouerit præfatas res furto ſubtractas, vel aliter indebite detentas, ſiue occupatas, ſi ſtatim Rectori & Conſiliarijs vel alteri ipſorum non manifeſtauerit, clare & aperte, ita ꝙ collegium noſtrum, res ſuas recuperare poſsit. Si autem Rector & Conſiliarij res ipſius Collegij ſic furto ſublatas, poſtquàm ad eorum notitiam peruenerit exigere ſeu recuperare neglexerint, per viſitatotem proxime futurum ad omnimodam ſolutionem Collegio faciendam condemnẽtur, & ſtricte compellantur. Supra quibus omnibus, & ſingulis tam Rectoris & Conſiliariorum, quàm ipſius viſitatoris conſcientias oneramus.

¶ *De Clauſtro ordinario.* XXI.

STatuimus & ordinamus, quòd vltra ea quæ quotidie incurrunt, ad quæ expedienda oportebit conuocari clauſtrum, teneatur etiam Rector ordinarie prima ſexta feria cuiuſlibet menſis conuocare, & tenere clauſtrum omnium collegialiũ ad veſperã finitis reparationibus, & clauſo iam collegio,

iam collegio, vt prouideatur circa lectiones, magiſtrorum & honeſtatem collegialiũ, & capellanorũ, & circa redditus & expẽſas ac alia honeſtatem & vtilitatem ipſius collegij concernentia. Et quidquid ſecreti in tali clauſtro, aut quouis alio tractabiť, nullus collegialiũ audeat id reuelare ſub pena periurij. Et ſi contra aliquem probatum fuerit, pro prima vice, comedat in refectorio panem & aquam dumtaxat per tres dies, niſi fuerint adeo grauia, ꝙ maiori pena fuerit puniendus. Et tunc Rector cum clauſtro poterũt illum maiori pena puniri. Pro ſecunda vice priuetur portione ordinaria per menſem, pro tertia autem expellatur a collegio.

¶*De Libraria Collegij.* XXII.

STatuimus etiam, ꝙ in libraria, quam in eodem noſtro collegio fecimus, & ſufficienti librorum copia inſtruximus, ſint perpetuo ſinguli libri, ſingulis catenis ligati, in ſuis locis per ordinem, vt nequeant inde faciliter auferri, quos etiam prohibemus omnino cuipiam commodari. Et vt omnibus & ſingulis ad ipſam librariam concurrentibus facilis pateat additus, & ſine aliqua difficultate poſſint in eadem proficere, volumus ꝙ perpetuis futuris temporibus, ſit aperta ipſius librariæ ianua, per quatuor horas ſingulis diebus, hoc ordine, videlicet, a feſto ſancti Lucæ vſq; ad paſcham reſurrectionis in qualibet die, aperiatur mane ab hora octaua vſq; ad decimam, & veſperi, ab hora ſecunda vſq; ad quartam, & à paſcha reſurrectionis vſq; ad feſtum ſancti Lucæ reſeretur mane, ab hora ſeptima vſq; ad nonam, & veſperi ab hora tertia vſq; ad quintam, Et his oris teneantur Bedelli ſinguli per ſingulos menſes alternatim aperire & claudere, & ſeruare præfatis horis, librariam dictam, huius etiam librariæ, ſinguli collegiales & capellani, ſingulas habeant claues, nec permittatur, per eoſdem, quòd aliquando ipſius librariæ ianua maneat aperta, in quo ſi aliquis negligens fuerit priuetur portione vnius diei, pro qualibet vice, ſi verò aliquis extraneus, alijs q̃ ſupra deputatis horis ad librariam venerit, idem qui ei oſtium reſeratuerit teneatur cuſtodire & ſpectare ad ianuam donec extraneus exeat, & diſtricte prohibemus, ſub excomunicationis latę ſententiæ pena ne libet aliquis ab ipſa libraria extrahi poſſit, niſi ex aliqua iuxta cauſa, id fieret videlicet ad imprimẽdũ aut tranſcribendũ talẽ librũ, nã tũc poterit fieri de cõſenſu maioris partis clauſtri, accepta prius ſufficienti cautione, & non alias, libros vero ipſius librariæ, teneatur mundare à puluere & alijs immunditijs vnus ex Capellanis minoribus, vel Collegialibus, cum vno portioniſta, ſuo ordine, ſaltim ſemel in menſe, & ipſis præſentibus, vnus ex familiaribus teneatur, ſcopis mundare pauimentũ ipſius librarię, in quæ qui negligẽs fuerit puniatur

puniatur pœna arbitrio Rectoris imponenda quem etiam,cum regētibus, & magiſtris in theologia,ab huiuſmodi labore eximimus.

¶ *De Archiuis Collegij & depoſitis non recipiendis.* XXIII.

ITem volumus,ꝙ in collegio noſtro ſit vna camera depoſitorū,in qua primo ponatur vna magna & capaciſſima archa,habens quatuor diuerſas claues cuſtodiendas per Rectorem & Conſiliarios,ita ꝙ vnusquiſq; habeat ſuam clauem,nec vnus poſſit duas habere claues,in quidem archa reponātur omnes ſcripturæ,bullę,preuillegia,& contractus,ac inſtrumenta collegij,& etiam pecuniæ eiuſdem,ſic ꝙ nequeat archa aperiri, niſi illis quatuor præſentibus.Sed ſi aliquis eorum ſe abſentauerit, dimittat clauem, antiquiori collegiali non habenti.Sint etiam in eadem camera armaria,ad cuſtodiam veſtimentorum, vaſorum, & aliorum iocalium capellæ collegij cum ſuis quatuor clauibus.Item, in eadem camera ſeruentur pignora debitorum ipſius collegij,cum ſuis inſcriptionibus,quę declarent cuius ſint,& quantitatem pecuniæ,vel rei debitæ. Aliena autem bona, pecunias, aureū, argentum,aut cætera alia mobilia,in depoſitum recipere ſeu habere in collegio,omnino prohibemus.

De libris poſſeſſionum & redditu um. XXIIII.

STatuimus & ordinamus,ꝙ in noſtro collegio fiat principaliter vnus liber in pargameno,in quo de verbo ad verbum,ſcribantur & exemplentur ac autenticentur omnia & ſingula inſtrumenta,bullæ,collationes,prouiſiones,annexiones,donationes,preuillegia,& alia inſtrumenta,redditū, emptionū & aliarum ſcripturarum,& bonorum quorūcunq; ipſum collegium,nunc & pro tēpore quomodolibet cōcernentiū.Et inſuper volumus ꝙ ex iiſdem originalibus exēplentur,etiā & autenticentur alia inſtrumenta quæ ſigilatim & diuiſim habeantur,vt cū opus fuerit poſſint in iudicio vel alibi exhiberi & præſentari.Ita ꝙ inſtrumenta originalia & prædictus liber ſine magna & euidenti neceſſitate ab archiuo collegij nullatenus extrahātur habeatq; Rector vnum memoriale omnium prædictorum iuriū & inſtrumentorum,vt de facile habeatur notitia bonorum omniū & reddituū, ad collegiū pertinentiū,legaturq; prædictum memoriale ſingulis annis in clauſtro per viſitatorem bonorum ac poſſeſsionum ipſius collegij,ſemel ante viſitationem inceptam,& iterum poſt eādem viſitationē finitam vt omnia bona ipſius collegij,& quæ circa ea fuerint ꝓuidēda omnibus collegialibus innoteſcāt,extrahaturq;ex præfato memoriali aliud ſummariū breuius benefi-

beneficiorum,redditum & aliorum bonorum immobilium,ꝙ legatur ſingulis menſibus in clauſtro ordinario ſub pēna quinq; florenorum, in qua ipſo iure Rector incurrat pro qualibet vice qua illud facere neglexerit. Itē fiat alius liber in quo ſcribantur mobilia omnia videlicet aurum, argentū, ornamenta,iocalia,libri,ſupellectilia, vtenſilia & quæcunq; alia bona mobilia, & ſe mouentia,cuiuſcunq; valoris & eſtimationis ſint,Quæ nunc & pro tempore collegio pertinuerint,& quomodolibet ipſi in poſterum fuerint acquiſita.Quiquidem liber reponatur in archiuis ipſius collegij, de quo libro ſimiliter extrahatur vnum memoriale omnium & ſingularū rerum,& bonorum quoruncunq; in eodem contentorum,vt per ipſum memoriale capellanus ex duobus maioribus &collegialis ad hoc deputati poſſint exigere & petere rationes à Rectore & Conſiliarijs,ac alijs officialibus per ſingulos annos conſignare eos Rectori & Conſiliarijs nouiter electis, vt cum viſitatio fuerit facienda de prædictis omnibus & ſingulis viſitator poſſit facilius informari iuxta ea omnia quæ ſuo officio viſitationis incumbunt.Et inuentarium ſiue ſummarium prædictum,ſimul cum viſitatione cuſtodiatur diligenter per eoſdem deputatos, in archa cū duabus diuerſis clauibus obſeruanda,ita ꝙ vnuſquiſq; ipſorum habeat ſuam clauem.

¶ *De bonis Collegij non alienandis nec mutuandis,& edificationibus & reparationibus nouiter faciendis.* XXV.

VOlentes indemnitati noſtri collegij,circa ipſius bona perpetuo conſeruanda prouidere,prohibemus omnem venditionem,locationē, ad longum tempus permutationem,pignorationem,infraudationem, ſeu alium quemuis alienationis contractum,niſi ex euidenti & legi,ima cauſa & acta vtilitate ipſius collegij, & tunc ad vitam duarum vel trium perſonarum dū taxat,& de cōſenſu totius clauſtri,vel ſaltē duarū partium, & de cōſilio & cōſenſu viſitatoris illius anni.Et cōtractus aliter factus nullius ſit momēti vel vigoris,& idē volumus obſeruari,quotieſcunq; collegiū voluerit aliquid de nouo ædificare.Reparationes verò ipſius collegij,vſq; ad decē florenos in pluribus,vel in qualibet reparatione,de mandato Rectoris,&Cōſiliariorum fieri permittimus,in maiorem verò ſummam nō niſi de cōſenſu maioris partis clauſtri.Volumus inſuper, ꝙ retenta ſumma decē milliū ducatorum,&ſex millium fanecarum tritici,&mille ordei pro neceſsitatibus collegij,& poſtquàm decem & octo collegijs ſcholarium pauperū per nos erectis fuerit datū,& ſolutum quod iuxta tenorē noſtrarū conſtitutionum tribuendum eſt de reſiduo ex ſupereſcreſcentibus redditus emantur poſſeſsiones &redditus vt diſtribuātur,iuxta quod plenius in cōſtitutione

ſuper

ſuper hoc ædita continetur. Vt autem collegij bona non diſtrahantur volumus quòd nec Rector ſolus, nec ſimul cum Conſiliarijs, ſed neq; totu in collegium ſimul poſsint mutuare pecunias domus ſeu commodare alia bona collegij ſub pœna excõmunicationis quam ipſo facto ſinguli in eo delinquentes incurrant, & procurantes vel proponentes hoc in clauſtro expellantur à collegio. Permittimus tñ, quòd tẽpore neceſsitatis Rector & Conſiliarij poſsint mutuare frumẽtum vel ordeum recepta prius ſufficiẽti cautione. Et vt à collegialibus materia negociationis omnino tollatur prohibemus ne pro alijs q̃ pro collegialibus aut capellanis poſsit fideiubere, locationes verò ad non longũ tempus domorũ, poſſeſsionum, beneficiorum, & aliorum quoruncunq; reddituum nunc & in poſterum ad collegiũ pertinentium faciant Rector, & Conſiliarij ſimul, & non alij vel eorum nomine procurator ab eis deputandus qui ſit ab eiſdem plene inſtructus ſuper pretijs, & alijs ad vtilitatem bonorum collegij pertinentibus, attẽdãtq; diligẽter vt prædictę domus ea cõditione locentur, vt conductores ipſarũ ianuis, feneſtris, & vectibus, ſeris, peſulis, & alijs ſimilib⁹ inſtructas, ſicut eas receperint, dimittere obligẽtur. Domus verò quas collegium nunc habet, & in poſterum habebit ſitas à porta de Guadalaxara per circuitum murorum, ex vtraq; parte, vſq; ad turrim eccleſiæ ſanctæ Mariæ, protracta linea recta, à præfata turri verſus meridiem & ſeptentrionem, vſq; ad ipſos muros, non poſsint dari in cenſum vel in phytheoſim, vel ad vitam neq; locari, maiori tempore decem annorum.

¶ *De Theſaurario & alijs officialibus Collegij.* XXVI.

ET quia oportet quòd ſint in eodem collegio aliqui officiales ad quos ſpectet omnes redditus ipſius collegij exigere, & recipere, & exactorũ, ac receptorum, rationem reddere. Ideo ordinamus quòd per ſingulos annos infra triduum poſt electionem Rectoris & Conſiliariorum eligatur ab eodem Rectore & Cõſiliarijs, vnus ex collegialibus in theſaurarium, qui teneatur omnes & ſingulos redditus ipſius collegij ad annũ ſui officij pertinentes, & debita quæcunq; præſentibus Rectore & Conſiliarijs recipere: ita tamen quòd pecuniæ graduum, & quæ à collegialibus ſunt perſoluendæ, ac alia debita, ad quę forſam tenebuntur quæcunq; perſonæ intra collegium habitantes, exigantur ab ipſo theſaurario, ac per eundem recipiantur. Reliqua vero, quæ tam à portioniſtis, q̃ ab extraneis quocunq; modo, vel quacũq; cauſa debebũtur, committantur exigenda alicui perſonæ idoneæ, quæ ad hoc per collegium vel per maiorem patrem ipſius, in œconomum, aut procuratorem ipſius collegij deputetur, qui per ſcripta ſufficiẽti

cautione

cautione, de mandato ipſius collegij ad exactionem reddituum & debitorum huiuſmodi legitime procedat, & omnes diligentias neceſſarias faciat, vſque ad receptionem ipſorum debitorum, & reddituū. Teneaturq; nihilo minus theſaurarius prædictus ſolicitare eundem procuratorem vt ſuis temporibus redditus & debita collegij exigat, q̄ ſi elapſis terminis ſolutio facta non fuerit tunc teneatur inquirere vtrum dictus procurator omnes, & ſingulas diligentias requiſitas adhibuerit, & ſi in aliquo repererit eum negligentem referat illud Rectori & conſiliarijs vt oportune prouideant indēnitati ipſius collegij. Cæterum procurator prædictus, poſtq̄ aliquas pecunias eidem collegio debitas receperit, ſtatim ſine aliqua dilatione teneatur illas eidem theſaurario præſentibus Rectore, & conſiliarijs, vel eorum maiori parte conſignare. Qui etiam poſtq̄ eas receperint in ſuo libro receptionum particulariter, cum die, menſe, anno ſcribere, & quitantiam de ſoluto dare teneantur etiam præſentibus rectore, & conſiliarijs vel maiori parte ipſorum qui omnia ſingula ſupradicta ſubſcribāt, & ſolutio aliter q̄ vt præfertur facta non liberet debitorem, & ſi contingat præfatos Rectorem & cōſiliarios, vel eorum aliquem à collegio abeſſe, ſuccedant loco ipſorum, vel ipſius qui per noſtras conſtitutiones deputantur in abſentia ipſorum, & in continenti omnes, vel maior pars ipſorum ſimul ſic receptas pecunias reponant in archa communi, ita q̄ apud theſaurarium ſolum remeneant aliquæ pecuniæ prout Rectori & conſiliarijs viſum fuerit, vt ex eis neceſſaria ordinarijs expenſis tribuat diſpenſatori, & pro extra ordinarijs ſumptibus, aliquas penes ſe retineat, de quibus etiam quod fuerit neceſſariū per cedulas eorundem Rectoris & conſiliariorum diſtribuat, & de eis in fine cuiuſlibet menſis præfatis Rectori & conſiliarijs tempore quo diſpenſatori maiori rationes exiguntur, rationē reddat vt occupationes diuerſæ, & ſuperfluæ euitentur. Inſuper volumus, q̄ ſingulis annis Rector & conſiliarij, præſente theſaurario teneantur ſolicite, & diligenter exigere, & recipere rationes, à procuratore collegij omnium & ſingulorum quæ quomodolibet ad ſuū ſpectant officium, & ſi viderint expedire, & neceſſarium fore vtilitati collegij poſſint etiam exigere eaſdē rationes, quoties opus fuerit. Deputetur etiā per eoſdem Rectorem & conſiliarios eodem die alius collegialis in diſpenſatorē maiorem, cui theſaurarius prouideat de pecunijs neceſſarijs, quæ alias per Rectorem & conſiliarios ad hoc ſibi fuerint conſignatæ, vt præfertur ad expenſas ordinarias domus, & ſcribat omnia quæ ei dederit in ſuo libro, & diſpenſator prædictus reddat rationem omnium pecuniarum, quas ab eo recepit particulariter cum die, menſe & anno, in fine cuiuſlibet menſis Rectori & conſiliarijs prædictis præſente theſaurario, deſignando numerum perſonarum, quæ continuo reſiderint eodem menſe in refectorio.

Quam rationem, idem rector, & conſiliarij etiam in eodem libro ſcribere teneantur reddat etiam præfatus diſpenſator, rationem de ſepo pro candelis deſignando, quantitatem receptam, & diem ac perſonas à quibus recepit particulariter cum die menſe, & anno, nec recipiatur theſaurario in computum pecunia quam pro ſepo ſe erogaſſe dixerit, niſi per cedulas diſpenſatoris maioris apparuerit qualiter prædictus diſpenſator receperit ſepum, vt præmittitur, & vt periculum incendij euitetur, quod ex multitudine candelarum quæ in cameris relinqui ſolent incenſæ veriſimiliter timeri poteſt, volentes huiuſmodi periculo obuiare, prohibemus ne alicui capellano, aut collegiali, etiam regenti poſsit dari pro candelis niſi ad ſummum vnum florenum pro quolibet anno, quod et detur ſiue in pecunijs, in tribus terrijs ſiue in candelis per arbitrio recipientis; In ſumptibus vero ordinarijs domus pro refectorio, & coquina, atque alijs non poſsit expendi niſi ad ſummum, vſque ad libram cum dimidia pro quolibet die: volumus etiam, quòd pro recipiendis lignis, & carbonibus, vnus carbonarius particularem rationem habeat, denotando quantitatem, diem ac perſonas a quibus emuntur, & recipiuntur, & nihil recipiatur theſaurario in computum niſi per cedulas dicti capellani minoris quibus conſtet de ſupradictis, nec poſsint alibi carbones incendi præterquàm in coquina, & tunc pro aſſandis tantummodo rebus ad menſam refectorij neceſſarijs. Habeatque præfatus capellanus curam de vtraque ciſterna domus, vt ſemper ſint mundæ & ſuis temporibus impleantur aqua. Prouideat autem Rector quòd in lignis, & carbonibus neceſſaria tribuantur, competenter, ita quod domus non patiatur diſpendium, conſequenter etiam deputetur vnus de familiaribus in diſpenſatorem minorem, cui ſimiliter diſpenſator maior prouideat de pecunijs neceſſarijs, ad victum quotidianum collegij, qui reddat rationem per ſingulas hebdomadas ipſi diſpenſatori maiori per ſuum librum, & remanet liber diſpenſatoris minoris penes ipſum diſpenſatorem maiorem, ſed prouideat diſpenſator maior ne vnquàm relinquat in poteſtate diſpenſatoris minoris vltra ſex florenos, ſi autem vltra prædictam ſummã dederit, & propterea collegium aliquod incommodum patiatur, prædictus diſpenſator maior teneatur illud ſatisfacere collegio. Item volumus quòd per ſingulos annos eadem die eligatur à prædictis rectore, & Conſiliarijs alius ex Collegialibus, vel capellanis qui domos, & poſſeſsiones ipſius collegij diligenter viſitare teneatur: vt ſi forte minentur ruinã, vel indigeant aliqua reparatione, faciat eas reparare, & ſi occupetur in aliquo per vicinos earundem, vel per alias quaſcunque perſonas, refferrat illud in clauſtro, vt ſine aliqua dilatione indemnitati ipſius collegij oportune

pro

prouideatur, Eligant etiam præfatus Rector & conſiliarij eadem die ex præfatis collegialibus aut capellanis minoribus alium, qui recipiat omnia genera frumentorum ipſi collegio debita, & reponat ea in ſuis horreis, quæ viſitare per ſingulas hebdomadas teneatur, ne in aliquo, detrimentum patiatur, & quod inuenerit reparandum referat illud Rectori & conſiliarijs vt ſtatim reficiatur. Sint autem prædicta granaria diuiſa vt alibi reponatur frumentum quotidianis vſibus neceſſarium, & alibi quod reſeruandum videbitur, ita tamen quòd ſemper ſuperſint collegio ſex millia fanecarum frumenti, & mille ordei, quorum omnium præfatus granariorum cuſtos rationem reddere teneatur ipſi Rectori, & conſiliarijs, ac alijs officialibus ad hoc deputatis, præſente etiam theſaurario. Deputetur etiam eodem die, & ex eiſdem collegialibus, aut capellanis, vnus qui a prædicto frumentario, recipiat per menſuram frumentum, quotidianis vſibus neceſſarium, de quo conferat piſtrici ipſius collegij & ab ea recipiat panem coctum per certum pondus, & habeat rationem cum ea. Teneatur præterea prædictus collegialis, vel capellanus per ſingulos menſes, Rectori, & Conſiliarijs præſente frumentario, & theſaurario rationem reddere. Nullus vero prædictorum poſsit duplici officio fungi, nec ſucceſsiue per duos annos idem officium exercere, & inſuper Rector, & conſiliarij durante tempore ſuæ Rectoriæ, vel conſiliariatus non poſsint habere aliquod prædictorum officiorum, volumus etiam, quòd nullus ex collegialibus, & ex octo capellanis minoribus ab huiuſmodi officijs aliquo ſe excuſare poſsint poſtquàm ad aliquod ipſorum fuerit electus ſub pena expulſionis à collegio, præterea ſtatuimus, quòd nullus ex præfatis officialibus, vel alius quicunque, quouis nomine cenſeatur vllo tempore poſsit frumentum, vel alias quaſcunque res, ſiue pecunias quas erogandas, vel conſeruandas, vel alio quouiſmodo diſponendas receperit, mutuare ſiue commodare, vel alio quouis modo tradere alicui ex Collegialibus, vel alicui perſonæ mundi, ſed ipſas eaſdem res, & pecunias erogét, vel conſeruet ipſi collegio reddendas, ſub pena excommunicationis, & expulſionis à collegio, quam contra faciendo ipſo facto incurrat.

¶ *De perſonis deputandis per ſingulos annos ad rationes exigendas.* XXVII.

VT autem collegij noſtri, & bonorum ac redditubm ipſius, indemnitati conſulatur, & ne propter incuriam, & deſidiam officialium ipſius bona diſsipentur, ſtatuimus & ordinamus, quòd per ſingulos annos infra triduum poſt ellectionem Rectoris, idem Rector teneatur congregare,

& tenere clauſtrum, vt in eodem clauſtro deputentur duæ perſonæ prouidæ, & diſcretę, quarum vna ſit ex duobus capellanis maioribus, altera ex collegialibus, ita tamen quòd ſemper vna ex illis anno proximo præcedenti idem officium exercuerit. Quæ poſtquàm fuerint electæ ſtatim teneantur præſtare ſolemne iuramentum, quòd cum omni diligentia, & fidelitate quantum in eis fuerit ſe exercebunt, in omnibus, & ſingulis rationibus exigendis, recipiendis, & examinandis, quòd omni odio, amicitia, & fauore poſtpoſitis, quidquid in prædictis rationibus inuenerint, illud in congregatione totius clauſtri reuelabunt, vt ſuper eo per collegiales vniuerſos opportune prouideatur. Deinde dictæ duæ perſonæ in ſimul cum Rectore & conſiliarijs, & theſaurario nouiter electis, exigant rationes per inuentarium à Rectore, & conſiliarijs, theſaurario, & frumentario antiquis, omnium & ſingulorum, quæ ad officium cuiuſlibet ipſorum in præcedenti anno pertinuerint, teneanturque dicti officiales quoties per dictos deputatos fuerint requiſiti, & conuocati ad reddendas rationes ſub pena vnius floreni archæ collęgij applicandi pro qualibet vice in qua fuerint contumaces, quam Rector, & conſiliarij teneantur exequi. Prædicti vero deputati teneantur ſine dilatione exequi officium exigendi, & accipiendi rationes ſub pęna præſtiti iuramenti. In quibus reddendis, & accipiendis rationibus, hoc ordine procedatur, videlicet quòd dictæ duæ perſonæ à clauſtro deputatę, per inuentarium omnium bonorum mobilium, & immobilium, ac ſe mouentium, ſuppelectilium vtenſilium, & aliarum rerum quarumcunq;, quantumcunque modici voloris ad ipſum collegium pertinentium, exigant rationes à prædictis Rectore, & conſiliarijs, theſaurario, & frumentario diligenter inſpicientes an omnia, & ſingula, in dicto inuentario contenta ſuperſint, & vtrum aliqua ſint denuo comparata, quæ ſi fuerint vtiliter empta, & collegio neceſſaria, ſtatim ſcribant in libro, & memoriali, ad hoc deputatis, alias non recipiatur in computum, ſed faciant reſtitui precium, tradanturque omnia, & ſingula ſupradicta per eoſdem capellanum & collegialem ad hoc deputatos, Rectori & conſiliarijs modernis per inuentarium, vt præfertur, & ſi tempore quo præfata bona conſignantur Rectori & conſiliarijs, nouiter electis, inuenerint, quòd aliquid ex prædictis bonis deſit, teneantur Rector, & conſiliarij præcedentis anni, ad omnimodam ſolutionem illorum infra menſem, ad quam plenarie faciendam per Rectorem & conſiliarios compellantur prout eis viſum fuerit expedire. deinde prædictæ duæ perſonæ Cum Rectore, & conſiliarijs, ac theſaurario modernis, exigant diligenter rationes à theſaurario proximi præcedentis anni, omnium, & ſingulorum ad quæ ratione ſui officij tenebatur

batur, tam eorum quæ recepit, quàm illorum quæ ordinariè diſtribuit, & ſi exactis rationibus, in aliquo repertus fuerit, teneri Collegio, compellatur ſtatim ſatisfacere, & ſoluere eidem Collegio, ſi tamen præſtiterit ſufficientem cautionem per quam indemnitati ipſius Collegij conſulatur, poterit expectari per menſem, quòd ſi in fine menſis integre non ſoluerit in pecunijs, & non in cedulis, nec pignoribus, eo ipſo vacet eius præbenda, & nihilominus, detineatur in Collegio, donec ſatisfaciat, & nihil interim recipiat à Collegio, quòd ſi ſecus factum fuerit, Rector & Conſiliarij, vltra damna, & intereſſe ad quæ teneantur Collegio, eo ipſo incurrant penam decem florenorum archæ Collegij applicandorum, quorum quatuor ſoluat Rector, reliquos vero Conſiliarij. Conſequenter exigantur rationes à frumentario totius frumenti, quòd durante tempore ſui officij, ſibi fuerit conſignatum, qui teneatur oſtendere cedulas panetarij quibus frumentum, quotidiano victui, neceſſarium, piſtrici fuerit elargitus, & ſi forſam aliquid, de mandato Collegij vendiderit, & examinatis dictis cedulis menſuretur quod ſupereſt in horreis, & tradatur frumentario nouo. Sed ſi in aliquo, antiquus frumentarius inuentus fuerit obligatus Collegio, ratione ſui officij, teneatur illud integre perſoluere, eodem tempore, & ſub eiſdem pænis, ſub quibus teneatur theſaurarius, Rector vero & Conſiliarij, durante tempore ſuorum officiorum, teneantur per ſingulos menſes exigere rationes à theſaurario, & diſpenſatore maiori, & frumentario de his quæ ad cuiuſcunque ipſorū officium pertinent, vel vtilitati, vel potius indemnitati Collegij, in omnibus neceſſarijs, oportune conſulatur. Quòd ſi in huiuſmodi rationibus, diſpenſator maior, aut theſaurarius repertus fuerit teneri Collegio vltra ſumam decem ducatorum tunc, niſi ſtatim, vel ſaltem intra triduum, præfatam quantitatem integre ſoluerit in pecunijs ſtatim fiat executio in eius bonis pro tota quantitate debiti. Quod ſi eius bona non ſuffecerint detineatur in Collegio donec plene ſatisfaciat, & nihil interim recipiat à Collegio vt præmiſſum eſt, & nihilominus, facta ſolutione priuetur veſtuario illius anni: & officio: atque in eius locum eligatur, per rectorem & Conſiliarios, alia perſona, quæ diligenter, & fideliter exerceat idem officium. Si vero in minori quantitate, quàm decem ducatorum repertus fuerit, teneri Collegio, tunc ſuper dicta quantitate debiti detur ei pro expenſis ſequentis menſis. Et vt dolus & fraus in his omnibus tollatur volumus, quod pecunia, quæ ex liquidationibus quarumcunque rationum Collegij ſoluetur, mittatur realiter, & cum effectu à rectore, & conſiliarijs in archa depoſiti, ſicut pecunia graduum, alioquin vltra damna,

& intereſſe, ad quæ teneantur Collegio, Rector, & Conſiliarij incurrant pœnam decem florenorum, & quia multoties, præfati officiales, ob mutuationes pecuniarum, quas propter importunitates ſæpe faciunt, non poſſunt officia ſua recte adimplere, nec ſoluere ea, in quibus reperiuntur teneri, & alia multa incommoda patiuntur: Statuimus, quòd nec theſaurarius, nec diſpenſator, aut infirmarius maiores, durante tempore ſuorum officiorum poſsint aliquam quantitatem pecuniæ, etiam quantumcunque modicam, etiam de proprijs pecunijs commodare: alias qui contrarium fecerit, eo ipſo amittat veſtuarium illius anni. Volumus inſuper, quòd infra octauas reſurrectionis prædicti Collegiales, & capellanus deputati, teneantur requirere inuentarium, per quod fuerint conſignata bona Collegij Rectori, & Conſiliarijs modernis, & videant ſi ſuper ſint, & qualiter tractentur omnia quæ eis tradita fuerint, & examinent omnes, & ſingulas rationes exactas, & receptas per Rectorem, & Conſiliarios, ab alijs officialibus vſque ad dictum tempus, & vt melius, ac ſecurius rationes ſupradictæ expediantur, & commodius prouideatur Collegio: Mandamus, quòd quicunque Collegialium, vel capellanorum volens intereſſe rationibus recipiendis, admittatur ad eaſdem, & inſuper, vt præfatæ rationes, & quod in eis repertum fuerit, omnibus innoteſcat volumus, quòd poſtquàm prædictæ rationes fuerint receptæ, vt dictum eſt, ſtatim per ſupradictas perſonas publicetur in clauſtro totum illud, quidquid per eaſdem in exactione, & examinatione ipſarum rationum repertum fuerit, vt tempore viſitationis faciliter omnia viſitatori oſtendantur, & ab eodem circa neceſſaria opportune prouideatur.

¶ *De officio diuino in capella perſoluendo, & quibus temporibus confiteri, & euchariſtiam ſummere teneantur.*
XXVIII.

VT autem fructus labiorum ſuorum Collegiales, & capellani offerre domino conſueſcant, & cæteri ad tam dignum opus per eoſdem inuitentur: volumus, quòd per ſingulos annos in perpetuum in ſolemnioribus feſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti videlicet natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Spiritus ſancti, Trinitatis, Corpus Chriſti, Transfigurationis domini noſtri Ieſu Chriſti, & in feſtis glorioſæ ſemper virginis Mariæ, ſcilicet in feſto Conceptionis natiuitatis ſanctæ Mariæ de Pace, Annunciationis, Purificationis, Viſitationis, & in feſto

ſto beatæ Mariæ de la, O, quòd celebratur decima octaua, Decembris & in feſto aſſumptionis eiuſdem virginis, & in feſto ſanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & in feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ſancti Franciſci, & ſancti Eugenij Prothopræſulis Toletañ, & ſanctæ Gatherinæ, & in feſto omnium Sanctorum celebretur in capella ipſius Collegij miſſa ſolennis cum veſperis, & vigilia cuiuſcunque ipſorum feſtorum: Celebrentur autem prædictæ miſſæ, & veſperæ cum ornamentis, & vaſis, calicibus, crucibus, & alijs iocalibus ditioribus, ac cuique feſto congruentibus accommodatis, quæ omnia ornamenta, vaſa, iocaliaque ditiora poſt finitum miniſterium ipſorum, reponantur diligenter in ſuis locis, ſub clauibus per Rectorem, & Conſiliarios cuſtodiendis, ſed ornamenta quotidianis vſibus deſſeruientia commendentur ſacriſtæ maiori quorum curam habeat, & rationem reddere teneatur prout ſuperius diſpoſitum eſt. Verum quia glorioſos, & egregios, eccleſiæ doctores videlicet, Gregorium, aut Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, necnon Beatiſsimum Illefonſum, ipſius Patronum atque præcipuum protectorem magno decet honore venerari, qui vniuerſos mundi errores ſuæ doctrinæ fulgere eliminarunt: Ideo decernimus quòd ſingulis annis perpetuo in feſtis eorundem Rector, Regentes, Conſiliarij, Lectores, Capellani, præbendati, portioniſtæ, Cameriſtæ, ſocij, ſcholares totius vniuerſitatis ſub pęna præſtiti iuramenti teneantur intereſſe, & conuenire in præfata capella ad primas veſperas in vigilia, & ad miſſam ſolennem, in die cuiuſlibet ipſorum ſolenniter celebrandam. In quibus omnibus, & ſingulis feſtiuitatibus ipſorum ſanctorum intra miſſarum ſolennia, orationem latino ſermone haberi volumus. In feſto vero ſancti Illefonſi propter populi concurſum ſermo fiat in vulgari, quæ omnia, & ſingula diſtricte præcepimus obſeruari. Teneatur etiam Rector commendare ſermones huiuſmodi faciendos aliquibus de facultate theologiæ, qui per ſe, vel per alium ſufficientem teneantur facere ſermonem ſub pęna decem florenorum, ei qui huiuſmodi ſermonem fecerit, vel archæ collegij applicandorum. Et prouideat ſimiliter Rector de religioſis, vel collegialibus, aut alijs de vniuerſitate, qui alijs temporibus anni, præcipue tempore aduentus, vel quadrageſimæ ſermones faciant ad populum in hoc noſtro oppido. Volumus inſuper, vt per ſingulos dies perpetuis futuris temporibus, in primo crepuſculo noctis, cantetur antiphona glorioſæ ſemper virginis Mariæ quæ incipit, Salue Regina. &c. cum ſuis verſibus, & oratione in fine præterquàm in tempore reſurrectionis dominicæ, quo tempore eiſdem horis cantetur alia antiphona eiuſdem glorioſæ Virginis Mariæ,

quæ incipit, Regina cœli lætare. &c. etiam cum ſuis verſiculis, & oratione, quibus antiphonis à principio vſque ad finem omnes, & ſinguli Rector, capellani, Collegiales, portioniſtæ, cameriſtę, & ſocij intereſſe teneantur, & capellanus hebdomadarius, teneatur ad eas ſuis tēporibus inchoandas, & orationes vt moris eſt dicendas, Qui autem ex ſupradictis eiſdem antiphonis, & orationibus non interfuerit, ſi fuerit ex Collegialibus, vel capellanis, aut portioniſtis, pro qualibet vice perdat totam portionem ſequentis dici, Cameriſtę autem, & ſocij, arbitrio Rectoris puniantur, ſuper quo eius conſcientiam oneramus. Cæterum vt nihil eorum quæ ad ſalutem animæ, ſpectant in noſtro Collegio prætermittatur exhortamur, & præcipimus omnibus, & ſingulis Collegialibus, & portioniſtis, cameriſtis & ſocijs, & familiaribus, vt quater confiteantur peccata ſua in quolibet anno, videlicet, in feſtis Natiuitatis, & Reſurrectionis dominicæ, & penthecoſtes, & in dominica proxime præcedenti, ante feſtum ſancti Lucæ, & ſacramentum euchariſtiæ per eoſdem dies ſumant, pęna autem non confitendis in eiſdem feſtis ſit priuatio portionis ordinariæ, donec confiteatur, de ſua inſuper confeſsione, faciat quiſque fidem in clauſtro congregando in vigilia talis feſti. In quo etiam clauſtro omnes habitantes in Collegio, ſe mutuo reconcilient, veniam adinuicem petendo, & remittendo, ſi quis aliquid in corde ſuo habuerit aduerſus alium. Præterea cum nonnulla beneficia ecclesiaſtica, tam curata quàm ſimplitia præfato noſtro collegio, autoritate Apoſtolica perpetuo ſint vnita, volentes vt dicta beneficia per idoneos capellanos deſeruiantur, & ſaluti animarum conſulatur. Decernimus quòd Rector, & Conſiliarij, præfati noſtri Collegij, bis in quolibet anno teneantur, per vnum ex collegialibus dicti principalis collegij facere viſitare capellanos dictis beneficijs deſeruientes, nam volumus, quòd tales eligantur in capellanos ad dicta beneficia deſeruienda. Qui conſcientijs plebium, quibus præponuntur poſsint conſulere, quod ſi huiuſmodi viſitator repertus fuerit, cum aliquo ex dictis capellanis in caſu in quo de iure venerit amouendus ſcienter diſimulaſſe, & eum in ſeruitio dimiſiſſe, eo ipſo expellatur à Collegio, & nihilominus, dicti capellani viſitationi ordinarij ſubiecti maneant. Inſuper volumus, quòd in omnibus quadrageſimis, & aduentibus Rector, & Conſiliarij præfati teneantur mittere, ad ſingulas parrochiales eccleſias quæ dicto Collegio ſint vnite, prædicatorem, qui diebus dominicis, & feſtiuis, qui à clero, & populo coluntur, in dictis eccleſijs teneantur prædicare, & capellanum, ibidem deſſeruientem in confeſsionibus audiendis adiuuare quòd ſi capellanus deſeruiens, fuerit prædicator, tantummodo teneantur

tur

tur mittere perſonam qui eum in audiendis confeſsionibus adiuuet, ita quòd omnes parrochiani eccleſiarum curam animarum habentium dicto noſtro Collegio annexarum ad ſumum vſq; ad dominicam in albis ſint cõfeſsi, & ſacramentum euchariſtie receperint. Et ſi in his ad implendis, Rector, & conſiliarij præfati tempore viſitationis reperti fuerint culpabiles, eo ipſo ſint priuati ſuis præbendis, & expellantur à Collegio, ne eorum deſidia & negligentia, animæ detrimentum patiantur.

¶ *De ſuffragijs pro anima ipſius fundatoris, ac aliorum defunctorum præſtandis.* XXIX.

ET quoniam qui ſeminant in benedictionibus, licet corporalia ſeminent de benedictionibus tamen Colligunt æternorum, ſpiritualia augmenta frugum ſe percepturos ſperant. Idcirco ſtatuimus, quòd omnes, & ſinguli qui in eadem Capella miſſam pro tempore celebrauerint, collectam in miſſam, & reſponſorium defunctorum poſt celebratam miſſam, ſaltem ſub miſſa voce, ſupra tumbam in Capella prædicta, iuxta altare poſitam, cum collectis pro anima fundatoris, & ſuorum ac aliorum defunctorum dicere teneantur. In prima etiam dominica cuiuſlibet menſis, & in die Aſſumptionis glorioſæ Virginis Mariæ, & in die Omnium ſanctorum, ſingulis annis, per capellanos, & Collegiales ſupra dictos, vigilia vnius nocturni, & trium lectionum, cum ſuis reſponſorijs defunctorum in veſperis, & ſequenti die per Capellanum præcedentis hebdomadæ, iuuantibus alijs omnibus miſſa defunctorum ſolenniter, & deuote celebretur, qua finita reſponſorium defunctorum, vt in vigilia per eoſdem capellanos, & collegiales, pro intentione iam dicta, ſpecialiter dicatur. Quibus officijs aliqui ipſorum qui non interfuerint puniantur hoc modo, quòd omnes illi quibus collegium neceſſaria largitur, priuentur portione vnius diei, Cæteri autem arbitrio Rectoris ſubiaceant puniendi. Ordinamus inſuper, quòd qui ex Collegialibus, aut cameriſtis fuerint ſacerdotes, per ſingulos menſes teneantur duas miſſas pro anima fundatoris, & ſuorum ac aliorum omnium defunctorum, in Capella Collegij celebrare. Capellanis vero minoribus iniungentibus, vt vltra præfatas duas miſſas, quas ſingulis menſibus tenentur, teneantur inſuper quilibet illorum, in qualibet ſeptimana duas miſſas ad minus celebrare. Alij vero ex ſupradictis, qui licet non fuerint ſacerdotes, erunt forſam obligati ad horas canonicas, dicant ſin-

gulis diebus quinquies orationem dominicam, ſimul cum ſalutatione veſpertina. Reliqui vero ex prædictis Collegialibus, qui non teneebuntur dicere horas canonicas, recitent diebus dominicis veſperas defunctorum, & ſecunda, & tertia, quarta, & quinta ferijs vnum nocturnum defunctorum, cum ſuis laudibus ſecundum exigentiam feriæ, & feria ſexta pſalmos penitentiales cum letania, ac ſuis orationibus, & die ſabbati, officium beatæ virginis Mariæ. Cameriſtæ autem, qui non fuerint ſacerdotes, vel alias obligati ad horas canonicas, teneantur ſingulis diebus dicere officium beatæ virginis ſecundum exigentiam feriæ pro intentione. Super quibus omnibus, & ſingulis faciendis, & adimplendis, eorum capellanorum, collegialium, cameriſtarum, ac cuiuſlibet ipſorũ conſcientias oneramus. Religioſi vero collegij beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſingulis diebus, quibus celebrauerint, in monaſterio Collegij, teneantur dicere reſponſorium, cum collecta pro intentione iam dicta.

¶ *De proceßionibus, & ſermonibus cæteris ſolennibus faciendis.* XXX.

STatuimus inſuper, quòd per ſingulos annos vltra proceſsionem ſolennem, quæ annuatim fieri debet, pro Chriſtianiſsimis Regibus Hiſpaniæ, & pro alijs huius Collegij, & vniuerſitatis protectoribus, fiant aliæ duæ ſolennes proceſsiones, in quibus conueniant, Rector, Regentes, Conſiliarij, Capellani, Collegiales, cæteri omnes, & ſinguli Scholares de vniuerſitate, vna videlicet in feſto Annuntiationis, & Incarnationis dominicæ ad baſilicam beatæ Mariæ del Valle. Sequens autem proceſsio in feſto ſancti Nicolai, ad eccleſiam collegiatam ſanctorum Iuſti, & Paſtoris. In quibus eccleſijs, omnes & ſinguli ſupradicti intereſſe teneantur, ad miſſam maiorem ſolenniter celebrandam, in qua Rector ſermonem faciat, vel de prædicatore prouideat. Quòd ſi in aliquo die prædictorum feſtorum, notabile impedimentum, vel aëris intemperies, aut imber appareret, mutabitur proceſsio ad alium diem pro arbitrio Rectoris, & conſilio magiſtrorum ac doctorum ipſius vniuerſitatis. Et in vigilia prædictorum feſtorum conueniant præfati omnes in capella ipſius Collegij ad veſperas ſolenniter dicendas. Poterit etiam Rector vltra prædictas proceſsiones, ingruente neceſsitate, vel alia iuſta cauſa interueniente, commendare aliquam aliam proceſsionem. Teneatur vero idem Rector publice denuntiare per Vedellum in ſcholis eaſdem proceſsiones, & veſperas pridie antequàm celebrari debeant, ad quas, & earum ſingulas conueniant omnes prædicti, ſub pęna præſtiti iuramenti, & tenеantur

antur omnes regentes, & magiſtri ac etiam bachalarij formati huius vniverſitatis,tam magiſtri, Collegiales, quàm alij,his & alijs proceſsionibus, & omnibus,alijs actibus communibus intereſſe, & deferre in eis inſignia ſuarum facultatum, alias in illo actu, & pro illa vice, non gaudeat loco ſui gradus, & inſuper ſi abſque iuſta cauſa hoc adimplere neglexerit, mulctetur pœna vnius floreni auri, cuius medietas ſit pro Rectore, & Conſiliarijs, & altera medietas pro Vedello, & ipſe teneatur habere curam notandi abſentias eorum, & exigendi mulctam huiuſmodi. In modo autem incedendi in dictis proceſsionibus, ſeruetur hic ordo, videlicet, quòd rector cum cancellario ad dextram, & decano facultatis theologiæ ad ſiniſtram incedat immediate poſt ſacerdotem, & in abſentia cancellarij, vel decani ſubrogentur antiquior, ſeu antiquiores ex regentibus in theologia, & ante ſacerdotem, diaconus, & ſubdiaconus, & ſubſequenter immediate doctores theologi, & regentes actu incedant ordinari, & diſpoſite in duos ordines, qui communiter in proceſsionibus fieri conſueuerint: cæteri vero bachalarij formati, & magiſtri artiũ,tam Collegiales,q̃ alij de vniuerſitate,incedãt in illis duob' ordinib' præmiſsis qui ſunt à dextris & ſiniſtris. Sic tamen quòd inter graduatos præferantur illi,qui fuerint altioris gradus, vel qui fuerint antiquiores in eodem gradu. Et inter collegiales non graduatos ſeruetur ordo ſeſsionum: in refectorio in actibus vero proprijs cuiuſcunque facultatis præferantur magiſtri illius facultatis cæteris omnibus.

¶ *De infirmis curandis.* XXXI.

QVando contigerit aliquem ex Collegialibus, aut capellanis, vel familiaribus in Collegio infirmari, tunc ponantur infirmi, in loco ad hoc deputato pro infirmaria. Et antequàm neceſſaria eis pro corporum medicamentis miniſtrentur,medicum aduocent animatum,cui ſua vnuſquiſque poſsit confiteri peccata, vt ſic poſtquàm fuerit infirmo de ſpirituali ſalute prouiſum,ad corporalis medicinæ remedium,ſalubrius procedatur. Et tunc in dicto ſuo loco,prouideatur eis de neceſſarijs iudicio medicorum.Et nec pro medicamentis,vel alijs quibuſcunq; rebus non teneatur collegium ſoluere aliquid, vel recipere in computum, quod collegiali infirmo fuerit traditum à pothecario,vel quocunq; alio, niſi fuerit datum per cedulam Rectoris,& medici ſimul:teneanturq; medici præſtare iuramentum quolibet anno in manu noui rectoris, q tantũmodo præcipiẽt dari infirmis ea,quæ ſunt neceſſaria eorũ ſaluti,& ſine quibus eorum infirmitati

mitati conſulere non poſſunt, & ſimiliter, quòd tempore computationis faciendi cum apothecario, ratione medicamentorum tantummodo mandabuntſoluere, quæ iuxta æſtimationem pro præfatis medicamentis fuerit ſoluendum. Et vt ſine fraude neceſſaria infirmis miniſtrentur, volumus, quòd licet ſecundum tenorem noſtrarum conſtitutionum omnes capellani minores debeant habere curam infirmorum, nihilominus ſpecialiter deputetur vnus ex his, qui præcipuæ infirmorum curam habeat, voceturque infirmarius maior, qui teneatur videre rationem, & computum infirmarij minoris. Diſpenſator vero maior nihil poſsit recipere in computum infirmario minori, niſi quod expenſum fuiſſe apparuerit per cedulas, nomine infirmarij maioris ſignatas, habita per eundem infirmarium maiorem informatione ab infirmo. Et antequam infirmus notificet diſpenſatori maiori, quòd eſt in infirmaria ad hoc vt deinde ſua portio, in ratione refectorij non ponatur, nihil ei tanquam infirmo poſsit miniſtrari. Statim vero, cum aliquis infirmus pharmacis, aut Clyſteribus vti voluerit, non poſsit in cellis, nec alibi quàm in dicta infirmaria curari, etiam ſi ſuis expenſis vellet ſibi prouideri, quod ſi alibi quàm in dicta infirmaria, aut aliter quam in hac noſtra conſtitutione diſponitur, datum, & in computum receptum fuerit, eo ipſo, Rector, & conſiliarij pro prima vice incurrant penam trium florenorum, pro ſecunda dupliciter, pro tertia amittant veſtuarium illius anni. Inualecente autem infirmitate alicuius, teneantur ſtatim medici, admonere ipſum, & referre Rectori vt reliqua eccleſiæ ſacramenta opportune ſuſcipiat. Si vero infirmus, aliqua graui infirmitate fuerit detentus, & petierit à Collegio extrahi: poſsit, iuditio medicorum, præſtito prius ab eis iuramento, & de conſenſu Rectoris, & conſiliariorum id fieri, & tunc nihil eis prouideatur à Collegio, & ſi contigerit, aliquem ex ſupra dictis ex infirmitate decedere ſepeliatur in eccleſia quam ipſe elegerit, ſed ſi non elegerit ſepulturam, ſepeliatur in eccleſia ipſius collegij gratis, & cæteræ expenſæ exequiarum fiant de bonis ipſius defuncti, ſed ſi fuerit adeo pauper, quòd non relinquerit bona vnde exequiæ poſſent fieri, tuns permittimus, quòd ex expenſis Collegij fiant exequiæ, illius dici. Præterea, ad ſepelliendum quemcunque defunctum ipſius Collegij, ſiue quelibet alium ſcholarem de vniuerſitate teneantur omnes, & ſinguli collegiales, & capellani, & ſcholares ipſius collegij, & vniuerſitatis conuenire, quandocunque per Vedellum de mandato Rectoris fuerit in ſcholis publice denuntiatum, ſub pæna præſtiti iuramenti.

¶De

¶ *De tempore peſtis.* XXXII.

QVia nonnunquam ſecreto Dei iuditio peſtis mortales inuadit. Ideò ſtatuimus quòd quando acciderit peſtem, aut aliuin morbum contagioſum, in hoc noſtro oppido de Alcala ingruere, collegiales, & capellani poſsint ſe abſentare cum debita licentia hoc pacto: Quod congregato clauſtro mittantur ſortes ad eligendum ſex præbendatos, & tres capellanos, qui remaneant ad cuſtodiam domus cum omnibus familiaribus, ſi vero contingat aliquem eſſe abſentem tempore hujus ſortiariæ electionis, procurator talis abſentis mittat ſortes pro eo, ſi habeat procuratorem, ſin autem aſsignetur ei procurator à toto clauſtro. Super quos ergo dictæ ſortes ceciderint, teneantur permanere in collegio toto tempore peſtis ſub pena expulſionis à Collegio, vel dare alios ex collegialibus, qui remaneant pro eis, vel etiam ex capellanis præciſe, qui etiam ſub eadem pena expulſionis poſtquàm acceptauerint pro alijs permanere, teneantur in Collegio reſidere: ſi vero ſors cadet ſuper aliquem abſentem ille vocatus tenebitur venire intra terminũ ſibi conſtitutũ per Rectorẽ, & Conſiliarios ſub prædicta pena expulſionis à collegio tamẽ eligatur, antequam omnes diſcedant, qui remanere teneatur, donec abſens, qui fuerat per ſortem electus veniat ad collegium, vel ſi prædictus abſens nunquam venerit ille ipſe qui fuerat electus in locum ipſius abſentis ſemper in Collegio remaneat, ſimul cum cæteris per ſortem electis ad permanendum, reliqui vero omnes collegiales, & capellani præter iſtos nouem electos poterunt impune recedere aut manere in Collegio, ſi voluerint, in quo qui permanſerint, habeant facultatem meliorandi portiones ſuas ſumptibus Collegij, & accipiendi omnia neceſſaria medicaminia ad ſalutem ſuam ſecundum exigentiam temporis. Sed ſi aliquis remanentium viam fuerit vniuerſæ carnis ingreſſus, alij permanentes habeant facultatem prouidendi de illa præbenda, vel capellania, infra tempus, quod eis bene viſum fuerit iuxta neceſsitatem Collegij. Et pro maiore fauore Collegialium permanentium volumus quòd non computetur eis totum tempus peſtilentiæ in numero octo annorum, quos habent pro ſuis præbendis, ſicut computabitur alijs extrauagantibus, horum collegialium permanentium antiquior præbendatus ſit Vicerector, & de alijs quinque tres antiquiores ſint viceconſiliarij, niſi alias talias officia iam haberent, quia tunc remanebit vnuſquiſque in ſuo officio, abſentes vero tali tempore nihil recipiãt à collegio teneanturq; etiam redire ad Collegium infra triginta dies poſtquam capitulum, collegiatæ eccleſiæ ſanctorum iuſti, & paſtoris huius oppidi reddierit ad reſidendum in præfata eccleſia, niſi tale

ſi tale tempus abſentiæ fuerit minus quàm quatuor menſes, quos habent ordinarie pro ſua abſentia, quia tunc licebit cuilibet defferre ſuum aduentum vſque ad complementum ipſorum quatuor menſium, quos eis concedit, ſuperior noſtra conſtitutio, de abſentia collegialium. Volumus tamen quòd totum illud tempus, quo abfuerint à Collegio propter peſtem computetur eis in numero prædictorum quatuor menſium, quos poſſunt habere quolibet anno, ita quòd non conceditur eis aut alicui ipſorum aliud tempus à collegio, niſi quod ſuperfuerit computato tempore abſentiæ propter peſtem.

¶ *De Collegijs pauperum.* XXXIII.

CVm ex officio paſtorali prælatis incumbat pauperum neceſsitatibus miniſtrare, & illis præcipue debitores ſint, qui virtutibus, & ſcientiæ Animum ſuum applicare deſiderant. Et quia frequenter contingit, quod propter neceſſariorū penuriā, ab ſtudio deſiſtere ſint coacti. Id circo ſtudioſis pauperibus ſubuenire cupientes, decreuimus, vltra hoc principale noſtrū collegiū (quod in honorē dñi noſtri Ieſu Chriſti, & eius genitricis virginis marię fundare curauimus) pro huiuſmodi pauperibus ſcholaribus alendis, erigere etiā alia duodecim collegia, in honorē duodecim apoſtolorū, in quorum ſingulis duodecim perſonę pauperes collocētur, qui liberalibus diſciplinis & ſacræ theologiæ incūbant: & ſimiliter alia ſex collegia in honorē ſeptuaginta duorū diſcipulorum dñi noſtri Ieſu Chriſti, in quib' alij ſeptuaginta duo pauperes, commorētur, quibus quidē collegijs, & pauperibus ſcholaribus ibidē cōmorantibus, præter hoc noſtrū principale collegiū ſancti Illefonſi, ex redditibus, & prouētibus, quibus illud, tā pro ſua, quā pro prædictorū decē & octo collegiorū, & aliorū in poſterū eligēdorū ſuſtentationē ſufficientiſsimę dotauim', prouidere teneatur, iuxta modū & formā per nos in conſtitutionibus, pro gubernatione & regimine collegiorū, & ſcholarium pauperū præfatorū æditis traditā cū redditibus prædicti noſtri collegij adhuc pro ampliori numero ſuppetāt, vt præmiſſum eſt, volētes inſuper quod poſtquā fructus, & redditus eiuſdē collegij, quos nūc obtinet, vel ex quibus titulo, vel cauſa in poſterū obtinebit, excreuerint, reparatis prius domibus, & hereditatibus, ac vniuerſis poſſeſsionibus ipſius collegij, & etiam domibus in quibus præfati ſcholares pauperes commorabuntur, quas integras, perpetuas, & benè conſtructas, ac exercitio literarum commodas, & diſpoſitas eſſe volumus, & retenta inſuper ſumma decem millium ducatorum auri, & ſex milium fanecarum frumenti, & mille ordei pro neceſsitatibus eiuſdem collegij prout diſpoſitum eſt. Et poſtquàm præfatis decem & octo

colle-

collegijs per nos erectis, & eorum cuilibet fuerit datum, & ſolutũ id quod
iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionum eis tribuendum eſt. De reſiduo
quod ſuper fuerit ex ſuper ex creſcentibus redditibus, & prouentibus præfa
ti noſtri collegij, emãtur poſſeſsiones, & redditus: vt exinde erigantur alia
collegia, & eis iuxta prædictum ordinẽ neceſſaria tribuantur. Ita q̃ imme-
diate, poſtq̃ empti redditus ſuffecerint pro vno collegio teneantur illud eri
gere, & ſecundũ ordinem iam traditũ ſuſtentare, & ſic ſucceſsiue in perper
tuum. Et ſtatuimus, inſuper q̃ aſſumendi ad dicta collegia, per nos vt præ-
miſſum eſt erecta & in poſterum erigenda, eligãtur per rectorẽ, & conſilia-
rios huius noſtri collegij, exceptis præſentandis ad præfata collegia per chri
ſtianiſsimũ regẽ Caſtellæ, & per reuerendiſsimũ cardinalẽ ſanctæ Balbinæ,
& per reuerendiſsimum Archiepiſcopũ Toletanũ, & per illuſtres ducẽ del
Infantadgo, & comitem de Curuña, & per dominũ benedictũ de Ciſneros,
& per dominã Iuanã, & dominã Mariã de Ciſneros nepotes noſtros, & fi-
lios noſtri Ioannis Ximenez de Ciſneros, ac cuilibet eorũ in domo & maio
ratu ſucceſſores. Quos & eorũ ſucceſſores præfatos, Rectori & collegiali-
bus præſentibus, & futuris præcipimus, & cõmendamus, vt tã ipſos q̃ omnes
alios de familia fundatoris dependentes, & cõſanguineos venerentur & co
lant. Et cũ contigerit aliquẽ ipſorũ ad collegiũ diuertere, eum honorificent
& reuerenter obſequantur. Necnon ſi aliquando acciderit, aliquẽ ex no-
ſtris cõſanguineis, ad aliquam præbẽdã noſtri collegij principalis ſe oppo-
nere, indiſtincte ſine aliqua cõtradictione admittatur, niſi aliquid obſtet,
quod ſit cõtra tenorẽ noſtrarũ conſtitutionũ, mandantes præterea Rectori,
& cõſiliarijs, ac collegialibus, præſentibus & futuris vt præfata collegia per
nos erecta, & in poſterum erigenda, & eorũ ſcholares pauperes foueant, &
cõſeruent, ac fraterno amore proſequantur, & omnia in alijs noſtris conſti
tutionibus ſuper his ædita, & cõtenta obſeruent, & ab alijs inuiolabiliter
obſeruari faciant. Et inſuper volumus q̃ nec Rector, nec cõſiliarij, nec to
tum clauſtrum poſsint aliquid ſtatuere, decernere, vel ordinare, per viã ſta
tuti, vel quo vis alio modo, circa præfata collegia erecta, vel erigenda vel eo
rum perſonas, aut cuiuſuis eorum quod tendat, vel tendere poſsit, quouis
modo in impedimentum ſtudij, dictorum ſcholariũ, & diſtractionem eo-
rundem: alias ipſo facto, ſententiam excõmunicationis incurrant, & quod
decretum fuerit ſit irritum & inane.

¶ *De religioſis in Monaſterio Collegij recipiendis.* XXXIIII.

TAndem vt noſtri collegij fructus, vberiores, in ſacrum ordinem ſera-
phici patris noſtri Franciſci perpetuo deriuentur. Ordinamus quòd
in ędi-

in ædificio ipſius collegij, quod eſt contiguum monaſterio beati Franciſci, ſint tredecim religioſi de obſeruantia eiuſdem ordinis, ſacræ theologiæ, vel metaphyſicæ, aut philoſophiæ, vel logicæ, aut ſummulis ſtudentes, cuiuſcũque nationis fuerint oriundi, quibus etiam liceat habere duos religioſos, qui eis in neceſſarijs deſeruiant, licet alias ipſi ſibi inuicem debeant miniſtrare nullusq; prædictorum religioſorum admittatur in eodem collegio, niſi de licentia ſuorum prælatorum, videlicet cuiuſcunque vicariorum generalis, vel prouincialis ſuæ cuſtodiæ de obſeruantia duntaxat, de qua licentia, per ſcripturam ſigillo & manu alicuius ipſorum prælatorum ſubſcriptam atque munitam, fidem faciat rectori, & conſiliarijs, in qua teſtificetur de moribus, vita, & honeſta conuerſatione, & habilitate religioſi, qui fuerit præſentatus, quorum teſtimonio ſtandum ſit donec contrarium conſtiterit, & etiam concedat ei licentiam iurandi, quòd obſeruabit omnia, & ſingula in hac noſtra conſtitutione contenta toto tempore quo permanſerit in monaſterio collegij: Et ſi contingerit, quòd plures in ſimul præſententur, tunc arbitrio Rectoris & conſiliariorum eligatur magis idoneus inter eos: ſic quòd cæteris paribus præferantur religioſi prouinciarum Caſtellæ ſancti Iacobi, & Bethicæ, & de ſanctoio, & inter iſtos præferatur religioſus cuſtodiæ Toletañ. modus vero eligendi eos ſit vocalis, & electores habeant principalite reſpectum ad compoſitionem morum, & bonam habilitatem, & eruditionem, vt ſic melius poſsint proficere alijs verbo, & doctrina, & exemplo. Religioſus vero taliter electus poterit manere in monaſterio collegij per quatuor annos. Vacante autem aliquo iſtorum religioſorũ expectabit collegiũ per quinquaginta dies vt venire poſsint oppoſitores ex diuerſis partibus, cuilibet autem horum tredecim religioſorum, & aliorum duorum ſibi miniſtrantium dabuntur annuatim à collegio duodecim menſuræ frumenti, quas vulgo dicunt hanegas dabunturque: Sedecim florini pro victu ſuo, & alijs neceſſarijs & tempus ſolutionis erit, quando ſalaria regentium ſoluuntur. Dabuntur etiam habitus, & tunica, & calcei, ſiue ſoleę, ſemel quolibet anno pro ſuo veſtitu, & omnis habit⁹ exterior ſit ſemper de panno vili, qui vulgo dicitur ſayal, & prouideatur eis de tenſore: habebunt etiam à collegio lectos cum ſtramentis neceſsarijs, in quibus more ſuæ religionis honeſte dormire poſsint. Et quoties aliqui ipſorum ægrotauerint, prouideat etiam eis collegium de medico & medicinis. Habeãt prætera iſti religioſi coquinam in ſua domo, pro cuius foco alendo & nutriendo, dabũtur eis per ſingulos annos octo florenni. Volimus etiam quòd de numero ipſorum tredecim religioſorum ſexta feria immediate ante feſtũ penthecoſtes per ſingulos annos eligatur vnus guardianus, cui cæteri religioſi teneantur obedire, & ille habeatur pro guardiano cui plura vota præ-

dictorum

dictorũ religioſorũ,vel eorũ qui tẽpore electionis huiuſmodi præſentes fuerint ſuffragẽtur etiã ſi nõ fuerit elect⁹ à maiori parte omniũ. Et ſi duo, vel plures a pari numero reperiant̃ electi, tũc de illis tãtũmodo,q̃ fuerint in pari numero ſecundo fiat electio, q̃ ſi tũc nullus ad huc fuerit electus à maiori parte, vt præmiſſum eſt ne diutius præfata electio differatur, ſorte inter eos dirimatur, ne vltra q̃ ad duo ſcrutinia in huiuſmodi electione diſcedatur,& poſtq̃ ſic fuerit electus, abſq; aliqua alia confirmatione, poſsit ſuum officiũ adminiſtrare & exercere,& durante tempore ſuorũ quatuor annorũ, ſi habuerit annum integrum ad permanendum in collegio, poſsit iterum eligi, ipſe vero guardianus ſit ſolicitus in omnibus,& ſingulis, quæ ad vtilem, & honeſtam gubernationem, iſtorum fratrum ſtudentium ſpectat. Et ſuper omnia q̃ ita in literis proficiant, vt ſpiritum ſanctæ orationis, & deuotionis non extingat:& ſi aliquando (quod abſit) aliquis præfatorum religioſorum commiſerit aliquid propter quod merito debeat incarcerari, vel expelli, detineat eum in carceribus, vel alias, præfatus guardianus, donec conſulat cuſtodem Toletañ,& ipſius cuſtodis prælatum ſuperiorem, ſi cõmodius poſſit haberi de cuius iudicio determinetur. Statuimus inſuper, q̃ cuſtos cuſtodię Toletañ, vel prælati ſuperioris dictę cuſtodię, poſsint eos, ſemel dũtaxat in quolibet anno viſitare,& corrigere, ita q̃ facta viſitatione p quẽcũq; ipſorũ nullus eorũ poſsit iterare viſitationem pro illo anno, excepto, quotieſcũque Rectori,& conſiliarijs collegij viſum fuerit viſitationem eſſe iterandã, nam tunc, ad ipſorum requiſitionem poterit cuſtos, vel eius ſuperior iterare viſitationem,& non alias. Et ſi in præfata viſitatione, inuenerit aliquem ipſorum in literis non proficere, vel eſſe inhabilem, ſeu alias ob aliam quãcunque iuſtam cauſam viderit eum eſſe amouendum, tunc de conſilio Rectoris expellat eum à collegio, nec occupet locum alterius, ſuper quo ipſius conſcientiam oneramus. Statuimus præterea q̃ nullus ex prædictis viſitatoribus, ſeu alius quicunque prælatus, poſsit quouiſmodo impedire præfatos religioſos à ſuis exercitamentis literarum, nec eis iniungere, quòd vadant ad moneſterium, ſibi contiguum, vel alias quocunque modo, extra collegium euagentur. Sed ſi contigerit, quod aliquis eorum, à ſuis prælatis reuocetur, ſi vltra tres menſes in vno anno fuerit abſens, à collegio, eo ipſo vacet locus ipſius, & nihilominus teneatur notificare Rectori diem ſui receſſus, & diem quo redierit, & illud faciat annotari, alias ſi notificatione non facta, vltra tres dies fuerit abſens, eo ipſo vacet locus. Iniungimus etiam ipſis religioſis, in actibus ſcholaſticis, & in alijs licitis, & honeſtis quæ non ſunt contraria in aliquo, ſuæ regulæ, & profeſsioni, teneantur, ſe conformare diſpoſitioni, & regimini ipſius Rectoris. Et etiã ſi aliqui illorum ſint idonei ad diſſeminandum, verbum Dei, ſermones quos

D ſibi

ſibi Rector commendauerit cum humilitate acceptent, extra oppidum tamen non occupentur. Rector vero cum omni charitate eos amplectatur, & foueat ſtatuimus, quòd præfati religioſi conueniant in ſua capella ad officium diuinum, & horas canonicas, tam diurnas quàm nocturnas in ſimul perſoluendas, quas legendo, & ſubmiſſe, humiliter pariter & deuote, dicere teneantur. Diebus vero dominicis, & feſtiuis, aliquanto altius medio tono, ſine aliqua tamen nota, ſacrificium labiorum ſuorum Chriſto domino offerant. Et quoniam noſtra præcipue intentio fundandi hoc collegium religioſorum fuit, ne tumultus literarij, & gymnaſtici exercitij miſceretur in aliquo, cum tranquilitate, & ſilentio monaſterij: Idcirco volumus, ꝙ ſi aliquãdo contigerit in monaſterio beati Patris noſtri Franciſci, eidem collegio religioſorum contiguo, vltra duos, vel tres ſtudio literarum, in quacunque facultate etiam grammatica vacare, eo ipſo rector, & collegiales noſtri principalis collegij non teneantur, præfato collegio religioſorum in aliquo prouidere: nec amplius præfati Religioſi in collegio commorentur, donec cum effectu, ab incepto ſtudio literarum in dicto monaſterio deſiſtant. cæterum ordinamus, ꝙ ſi aliquando in cõgregatione capituli generalis Ciſmontañ. de obſeruantia, viſum fuerit preſbyteribus capituli, ꝙ per ſtudiũ literarum huiuſmodi præfati religioſi in aliquo impediantur ab ſtudio orationis, quibus principaliter deberent vacare, & idcirco patres capituli, vel ſi alias extra capitulũ vicarius generalis Ciſmontañ. cum conſenſu prędictorum prouincialium iſtorum regnorum videlicet prouincialiũ Caſtellæ, ſancti Iacobi, Bethicæ, & de Sanctoio, vel eorum maioris partis, aut præfati omnes prouinciales, per ſe decreuerint, vel ordinauerint, ꝙ propter hoc, vel propter aliam cauſam, prædicti religioſi, ab ſtudio literarũ deſiſtãt, ſeu alias quouis modo præſtiterint impedimentũ, quominus contenta in hac noſtra conſtitutione in ſpecifica forma ad impleãtur, vel tentauerint in alium vſum cõuertere, vel ſi poſt duos annos poſt vacationem ceſſauerint à præſentatione prædictorum quindecim religioſorũ, vel eorum maioris partis, eo ipſo occurrente quocunque ex ſupra dictis cauſis, ne noſtro in totum fruſtremur propoſito: Præcipimus, quòd Rector & collegiales teneantur ex tunc loco prædictorum religioſorum, in eodem collegio inſtituere, & collocare in perpetuũ duodecim capellanos preſbyteros ſeculares, quibus ad inſtar aliorũ nouem capellanorum minorũ neceſſaria tribuantur, & ipſi ſimiliter eidẽ collegio, ſicut præfati capellani minores miniſtrare, & deſeruire teneantur, qui in omnibus, & per omnia, tam in modo electionis, quàm in cæteris omnibus, in noſtris conſtitutionibus contentis, ſicut cęteri nouẽ capellani prædicti pariformiter aſtringantur, & cẽſeantur: & nullatenus futuris tẽporibus in perpetuum præfatis religioſis, ſue alicui eorum aliquid

de

de omnibus,& ſingulis,quæ in hac noſtra conſtitutione continentur. præfatum noſtrum collegium præſtare teneatur, ne quouis modo poſsit, imo eo ipſo abſque aliqua dilatione loco ipſorum præfati duodecim capellani (vt præmiſſum eſt) ſubrrogentur,& inſtituantur.

¶ *De electione Regentium, & lectorum.* XXXV.

QVoniam non parum refert hos,vel illos eligere ad regẽtias,& cathedras noſtri collegij,& vniuerſitatis,quum omnis fructus,& vtilitas ipſius, in eo quàm maxime conſiſtat,vt magiſtri,& regentes ad docendum deputati,virtutibus,& literarum ſcientia,atque commendabili doctrina præfulgeant. Ideo nos volentes ad laudem Dei omnipotẽtis neceſsitati noſtri collegij & vniuerſitatis,& communi ſcholarium vtilitati conſulere, & prouidere:ſtatuimus,& ordinamus,quòd perpetuis futuris temporibus, vltra alios lectores,in cæteris facultatibus ſint in præfato noſtro collegio, & vniuerſitate octo magiſtri regentes artiſtæ,& tres theologi,qui cathedras artiũ atque theologiæ præfatæ noſtrę vniuerſitatis regant, & quia in eorũ electio ne iuxta præmiſſa maxima debet adhiberi diligentia, vt ſufficientiores, & magis idonei eligantur ſine aliqua acceptione perſonarum,ideo volumus, quòd ordinarie per ſingulos annos in perpetuum eligantur duo regentes, proxime poſt feſtum ſancti Franciſci,qui legant ſummulas logicę,quorum vnus legat intra noſtrum principale Collegium, alter vero in alia parte Collegij vbi eſt theatrum, vel in aulis compluuij cameriſtarum, prout Rectori & conſiliarijs viſum fuerit expedire.ad quas regentias ſummularum volentes ſe opponere, teneantur ſe præſentare coram Rectore ipſius collegij, & vniuerſitatis, ante diem prædicti ſancti Franciſci: Ita quòd ſemper ante vigiliam ſancti Lucæ ſingulis annis ſit facta prouiſio vtriuſque regentiæ ſummularum,nec vlterius poſsit vllatenus differri. Et vt euitentur fraudes, quæ in ſimilibus fieri ſolent, teneantur oppoſitores præſtare iuramentum, ſe non ſubornaſſe nec circunueniſſe, aut ſolicitaſſe aliquem ex electoribus, nec ſubornaturos, aut ſollicitaturos in poſterum per ſe, aut per interpoſitam perſonam, directe, vel indirecte publice, vel occulte aut alio quouis quæſito colore, vt per eis, & in ipſorum fauorem aliquo modo votum præſtent, & quòd ſi id ab aliquo fieri, ad eorum notitiam peruenerit, illud impedient, & totis viribus reſiſtent, & iurabunt etiam de non deſiſtendo ab oppoſitione. vt autem huiuſmodi electiones liberius fiant, volumus, quòd cum aliqua ex regentijs vacauerit, à die qua aliquis ad eam ſe oppoſuerit, donec prouiſum ſit de eadem, nullus ex oppoſitoribus, aut regentibus tam Artium quàm theologiæ, aut alterius fa-

cultatis poſsit deambulare per Collegium, durante dicto tempore alias quicunque contrarium fecerit, ſiue ſit ex habitantibus in collegio, ſiue extra, eo ipſo incurrat pro qualibet vice pęnam decem florenorum, archæ Collegij applicandorum. Et ſequenti die poſt feſtum ſancti Franciſci, idē Rector cum Conſiliarijs ipſius, Collegij, & vniuerſitatis, deputent ſingulis oppoſitoribus, vnum vel duos dies ad legendum ſucceſsiue, & aſsignent ſingulis oppoſitoribus, duas lectiones, oppoſitionis de principijs ſummularum, quas viderint ipſos ſcholares, qui debent vota præſtare melius intelligere. Quas legant oppoſitores cum ſuis quæſtionibus, & reparationibus, modo Pariſienſi inferius explicando. Sed ſi aliquis qui non fuerit graduatus in hac vniuerſitate, venerit ad ſe opponendum, vt de eius eruditione, & ſufficientia poſsit conſtare, vltra præfatas lectiones oppoſitionis teneatur etiam legere; alias lectiones de ſummulis, logica, philoſophia, & metaphyſica, prout Rectori, & conſiliarijs viſum fuerit, de materia qua ipſe oppoſitor elegerit, & hoc infra terminum oppoſitionis, ne propterea prouiſio regentiæ differatur. Quibus lectionibus interſint magiſtri theologi, & artiſtæ non habentes eodem tempore lectione, vna cum Rectore, & Conſiliarijs, ac ſcholaribus, qui neceſſario ſint audituri prædictas ſummulas, eodem anno, finitis vero lectionibus oppoſitorum, teneatur Rector conuocare, & tenere clauſtrum cum eiſdem conſiliarijs, & ibidem admonere ipſos ſcholares, vt attentius conſiderent, quem ex oppoſitoribus eligere debeant, cum neceſſario, ab altero ex duobus qui fuerint electi, ſint audituri ſummulas, & cætera, quæ requiruntur ad curſum magiſterij per tres annos, & quatuor menſes perficiendum, & alia huiuſmodi eis dicere, quæ viderit expedire ad hoc vt liberius, & melius eligant. deinde recipiat à ſingulis illorum ſigillatim iuramentum, ſuper ſignum, ſanctæ crucis, & ſancta Dei euangelia, & ſub vinculo præfati iuramenti interroget eos, & quemlibet eorum ſi fuerunt ſubornati, aut circunuenti per aliquem ex oppoſitoribus, vel aliam quancunque perſonam, ad hoc, vt alicui ex oppoſitoribus præſtent votum ſuum, & ſi aliquis eorum manifeſtauerit, ſe fuiſſe ſubornatum, aut circunuentum, exprimat perſonam, & nomen illius, qui eum ſubornauit, & qualiter, & in cuius fauorē, videlicet ſi fuit inductus precio ſeu precibus, aut minis, aut alio quouis quæſito colore, & ſi declarauerit, vel alias conſtiterit, ſe recepiſſe quodcunque precium, vel munus, aut acceptaſſe aliquam promiſsionem, vt præſtaret votum ſuum, tunc vltra pęnam inhabilitationis, ad quamcunque electionem actiuam, vel paſsiuam, quam ipſo facto incurrat, expellatur ab vniuerſitate, & ſi fuerit de habitantibus intra Collegium, expellatur à Collegio, & vniuerſitate; & inſuper arbi-

trio

trio Rectoris,& conſiliariorum pro qualitate criminis acrius puniatur, & hoc idem omnino ſeruetur in quocunque ſubornante,ſiue fuerit de oppoſitoribus,ſiue quicunq; alius,vt videlicet,ꝙ etiam ſi ſolis precibus ſubornauerit,expellatur à collegio,&vniuerſitate,ſicut dictum eſt.Et inſuper arbitrio Rectoris,& conſiliariorum,vt premiſſum eſt,puniatur.Sed ſi fuerit aliquis extraneus qui non ſit de vniuerſitate,ipſo facto,ſententiam excommunicationis incurrat,à qua non poſsit abſolui niſi per Rectorē, & ſatisfatione præmiſſa.Si vero affirmauerit,ſe non recepiſſe aliquod precium,vel munus,nec alias moueri ad præſtandum votum ſuum per ſubornationē ſibi factam,ſed quòd ſecundum Deum & bonam conſcientiam,iuxta tenorem, huius noſtrę cōſtitutionis præſtabit votum ſuum,tunc admittatur eius votum.Oppoſitores vere,qui nec per ſe,nec per interpoſitam perſonam, nec alias quouis modo ſubornauerint,nō efficiantur inhabiles,cæteris conſtitutionibus punientibus ſubornationes,etiam ipſis oppoſitoribus ignorantibus,tam in electione ad officium rectoriæ,& conſiliariatus,quàm ad pręhendas,& ad quæcunque alia officia Collegij, in ſuo robore permanentibus. Et inſuper Iurabunt præfati ſcholares, quòd omni odio, amore, & fauore poſtpoſitis ſolum Deum præ oculis habentes, & vtilitatem Collegij, & vniuerſitatis, ac ipſorum profectum conſiderantes,præſtabunt vota ſua ſufficentiori, & magis idoneo, & ei ex quo maiorem in ſcientia fructum, & vtilitatem ſe ſperant conſequturos: & quòd ſperant ſe auditurosper totum illum annum, ab aliquo ex lectoribus, qui fuerint electi, & approbati: in regentes præſtito autem huiuſmodi iuramento, in continenti Rector det ſingulis ſcholaribus prædictis cedulas nominum, & cognominum omnium, & ſingulorum oppoſitorum ex quibus vnuſquiſque eligat vnicam quam maluerit, & reponat eam ſecreto in loco ad id deſignato: Reliquas vero, quas reiecerint apertę ſecent, vel reponant eas in loco, etiam ad id deputato, vt omnis fraudis occaſio prorſus tollatur: Receptis vero votis, modo præmiſſo ſtatim idem Rector, & Conſiliarij præſtito prius iuramento, quòd non reuelabunt vota, quæ vnuſquiſque oppoſitorum habuerit, nec declarabunt quis ex duobus electis à maiori numero fuerit electus, ſcrutentur cedulas, & illos duos approbent in regentes, quos inuenerint à pluribus electos, nulla habita ratione, vel reſpectu ad qualitates regentium, & electorum: quòd ſi fuerint in ęquali numero ſorte inter eos dirimatur, electis vero duobus regentibus ſummularum,vt præfertur, vt ſummuliſtæ plenius poſsint informari, ſub quo ex eis magis proficiant,ſtatuimus quòd ſummuliſtæ præſentes tēpore electionis habeāt triginta dies primo ſequentes,& qui poſtea venerint, habeāt etiam alios triginta dies,à tēpore ſui aduētus computādos,in quibus

 libere

libere poſsint ab vtrolibet tegentium viciſsim audire, ſicut voluetint, vt in dicto tempore poſsint deliberare, trāſactis autem triginta diebus præfatis, teneantur ſequi illum regentem à quo repetti fuerint primam lectioné audiſſe poſt dictos triginta dies, nec deinceps poſsint mutare regentem præterq̃ ex licenria rectotis, quam non dabit niſi aliqua iuſta cauſa inrerueniente, puta ſi regens fuerit infitmitate aliqua detentus, aut aliquam abſentiam magnam fecerit, vel propter aliam cauſam ſimilem propter quā videretur Rectoti, ꝙ ſcholaris ille pęrit iuſtum, & quod ptoprer euidentem vtilitaté quam credit ſe conſequuturum, mutat regenté, & nō propter aliud, in quo enixe conſcientiam Rectoris oneramus. Poſtea veto procedente tempore vtriuſq; regentiæ, ſi apparuerit, ꝙ alicui ex præfatis duobus regentibus ſummularum à ptimo die, poſt elapſos dictos triginta dies vſq; ad terminū primæ ſolutionis cathedtarum defuerit quinta pars numeri omnium ſummuliſtarum per maiorem partem dicti temporis eo ipſo vacer eius regétia pro illo anno, & nihil ei ſoluatur pro ſalario temporis elapſi à die ſuæ electionis: pto verificanda autem huiuſmodi quinta parte Rector, & Conſiliarij teneantut ſtatim poſt elapſos dictos triginta dies, à die prouiſionis tegentiarum iniungere viſitatoribus cathedrarum, vt infra nouem dies ſequentes habeant informationem de numero ſummuliſtarum vtriuſq; regentiæ, & quinra pats huiuſmodi numeti habeatur pro quinta parte prędicta, quá, ſi aliquis ex prædictis regentibus, per præfatum tempus, aut maiorem partem eius non habuerit eo ipſo perdat tegentiam, & nihil ei ſoluatur pro ſalario temporis elapſi, vt præfettur, prætetq̃, ſi aliquando contigerit, neutrū eorum habere dictam quintam partem, per maiorem partem temporis pręfati, nam tunc vacabit tegentia illius, qui minorem numerum auditorum per maiorem partem dicti temporis habuiſſe apparuerit, ſoluto ei ſtipendio pro rata, poſt dictum autem terminum primę ſolutionis cathedratum, volumus, ꝙ quicunq; numerus auditorum ſufficiat ad continuandū regentiam vſque ad finem cutſus: ſi tamen apparuerit aliquem ex regentibus eſſe adeo deſidem, vel temiſſum, quòd videatur inutilis, vel modici fructus eius regentia: volumus ꝙ per Rectorem, & conſiliarios, habita pet eos aut per viſitatorem cathedrarum illius anni informatione, quoties viderint expedire, reneantur eum à regentia expellere, aut priuate ſine aliqua difficultate, ſuper quo eotum conſcientias oneramus. Et electi ſic in tegentęs, recepto ptius ab eis iuramento, prout in forma iuramenti infetius continetut, legant pet tres annos immediate ſequentes, & vſque ad feſtum putificationis quatti anni, quo die finitut curſus. Nihilominus tamen regentes metaphyſicotum gaudebunr omnibus & ſingulis preuilegijs tegentium, vſq; ad diem ſancti Lucæ ptæfati quarti anni, ſi vero contigerit, quòd aliqua ex

regen-

regentijs ſummalarum vacauerit, medio tempore ante diem ſancti Franciſci, vel etiam quæcunq; alia regentia artium, vel theologiæ, aut alia quæcunq; cathedra noſtri collegij, & vniuerſitatis cuiuſcunque facultatis vacare contingerit, ſiue ex eo quòd finitum fuerit tempus regentiæ, vel cathedrę, ſeu per obitum, vel abſentiam regentis aut alio quouis modo vacet, túc Rector & conſiliarij, teneantur eodem die vacationis, publice denuntiare per cedulas eorundem manu ſuſcriptas vacationem præfatæ regẽtiæ, vt volentes ſe opponere teneantur comparere coram eiſdem Rectore, & cõſiliarijs in termino inferius aſſignando, videlicet, ſi regentia ſummularum vacauerit ante diem ſancti Franciſci, vel regentia logicæ, philoſopiæ, aut metaphyſicæ quocunq; tempore, quocunq; modo vacauerint, vt præmiſſum eſt, teneantur ſe opponere infra decem dies proxime ſequentes à tempore vacationis, & infra alios decem dies immediate ſequentes fiat prouiſio, & omnia ſuperius requiſita, ita quòd vltra viginti dies à tempore vacationis nullatenus differatur prouiſio præfatæ regentiæ. Si autem fuerit cathedra theologiæ, aut alterius cuiuſcunque facultatis, quæ non ſit de regentijs Artium ſupradictis, tunc aſſignetur terminus triginta dierum, infra quem oppoſitores compareant coram præfatis Rectore, & conſiliarijs ad ſe opponendum, & infra alios viginti dies immediate ſequẽtes omnino fiat prouiſio eiuſdem regentiæ, aut cathedræ vacantis, ita quòd vltra quinquaginta dies prouiſio nullatenus differatur, ſed ſi aliquis ex oppoſitoribus nõ fuerit graduatus in hac vniuerſitate, vltra lectiones oppoſitionis ſibi aſſignandas, teneatur legere in præfato termino aliquas alias lectiones, prout Rectori, & conſiliarijs viſum fuerit, ad oſtendendum ſuam ſufficientiam, & eruditionem, de materia, quam ipſe elegerit, & hoc idem teneantur facere alij oppoſitores ad regentias artium non graduati in hac vniuerſitate in termino ſuperius aſſignato. Et in cæteris omnibus, tam de non admittendo, ad electionem regentiæ, vel cathedræ vacantis, niſi auditores duntaxat illius regentiæ, vel cathedræ, quã in omnibus alijs, ſeruẽtur prorſus ea omnia, & ſingula, quæ in hac noſtra conſtitutione in prouiſione regentiæ ſummularum diſponuntur ſeruanda, & ſeruatis cæteris ſeruandis circa aſſignationem lectionum ad talem regentiam, vel cathedram vacantem, vt præmiſſum eſt, fiat electio, & prouiſio: Electus vero in locum alicuius ex octo regentibus artiũ duntaxat duret tantummodo per idẽ tempus, quod reſtabat de curſo alterius regentis, in cuius locum ſuccedit, vt perficiatur curſus trium annorũ, & quatuor menſiũ, qui requirũtur ad curſum magiſterij artiũ perficiendũ: In vacatione vero, & prouiſione cuiuſcunq; cathedræ theologię permittimus, ꝙ ſi quiſpiam ex oppoſitoribus nondũ fuerit magiſter in theologia, tamen curſus ſuos peregerit, ita quòd ſtatim, vel

infra ſex menſes, à die prouiſionis ipſius regentiæ poſsit ad gradum magiſtrij promoueri, & ſi vota ſcholarium eiuſdem facultatis ſuffragentur, nihilominus ad prædictam regentiam poſsit admitti, & tunc in tali caſu poſsit vnus ſolus graduari, etiam ante biennium, & quia aliquando propter defectum, vel inſufficientiam, & inhabilitatem aut propter in curiam, vel deſidiam alicuius ex lectoribus, vel regentibus noſtri collegij, & vniuerſitatis, præfato collegio, & vniuerſitati magnum incommodum, & detrimentum prouenire poſſet, tam in diminutione, & frequentia ſcholarium, quàm in iactura integræ & commendabilis famæ collegij: Ideo ad huiuſmodi dána, & inconuenientia tollenda, & vt vtilitati collegij, & vniuerſitatis conſulatur: Volumus, & ordinamus, quòd per ſingulos annos Rector & conſiliarij collegij & vniuerſitatis intra triduum poſt ipſorum electionem duos teneãtur eligere viſitatores ex eorũ numero, qui præſtito prius ſolenni iuramento ſuper ſignum crucis, & ſancta Dei euangelia, quòd omni odio, amore, & fauore poſtpoſitis, ſe informabunt diligenter ab omnibus, & ſingulis ſcholaribus in ſingulis facultatibus audientibus, & ab alijs quibuſcunque perſonis, à quibus certiores fieri poſsint, & viderint expedire de incommoditatibus, & damnis ac qualitatibus regentium, & lectorum, ac alijs inconuenientibus, & qualiter in regendo, & legendo ſegerant, & quantam habeant ſinguli eorum frequentiam, aut penuriam auditorum: Et ꝙ ſingula, quæ ex prædicta informatione compererint, fideliter in congregatione ipſorum Rectoris, & conſiliariorum denunciabũt. Qui omnes in ſimul poſtquàm præfatam viſitatorum informationem, & relationem audierint præſtito prius iuramento, & facta diligenti examinatione qualitatum ipſorum regentium, & lectorum: Si notabile damnum ipſi collegio, & vniuerſitati ex alicuius ipſorum regentium, & lectorum inhabilitate, & inſufficientia, in curia, & negligentia, vel defectu viderint prouenire, & ipſis vel maiori parti ipſorum viſum fuerit expedire, teneantur priuare talem regentem, vel lectorem ſua regentia, vel cathedra ſine aliqua audientia, & omni apellatione poſtpoſita, & de alio habili, & ſufficienti iuxta formam in hac & in alijs noſtris conſtitutionibus traditam, collegio, & vniuerſitati prouidere, & ſi inuenerint aliquam regentiam, vel lecturam præfati collegij, & vniuerſitatis aliquando habere magnam penuriam, vel inopiam audientium: tunc attenta qualitate temporis, & lecturæ poſsint Rector, & conſiliarij commutare ad reſiduum anni, vel ad certum tempus præfatam lecturam in aliam eiuſdem, vel alterius facultatis, quam viderint expedire, maxime ne auditores illius lecturæ, qui tunc forte abſunt, propter ſui abſentiam incommodum patiantur.

¶De

¶ *De ſalarijs Regentium, & Lectorum.* XXXVI.

STatuimus inſuper, & ordinamus, quòd occurrente vacatione alicuius regentiæ, antequàm de eadem regentia prouideatur, & Rector, & Conſiliarij iuxta dictamen ſuæ conſcientiæ taxare, & aſsignare teneantur ſalarium, & ſtipendum ipſius regentiæ ſecundum exigentiam temporum, & qualitatem perſonarum, ita tamen, quòd ſalarium totius integri curſus artium nullatenus poſsit excedere ſummam ducentorum, & quadraginta florenorum auri de Aragonia pro toto curſu, hoc modo, videlicet, quòd in primo anno poſsint aſsignari pro ſalario octoginta floreni, & in ſecundo, alij octoginta, in tertio vero, qui debet computari à die ſancti Lucæ vſque ad ſecundum feſtum purificationis, alij octoginta: Salarium vero cuiuſlibet regentiæ theologorum etiam nullomodo poſsit excedere ſumam centum florenorum ſimilium annuatim, & ſiue collegiales, ſiue alius extra Collegium aſſumatur ad regentiam, nullatenus poſſint augere præfatum ſalarium, præterquam regentibus ſummularum, & logicorum, quibus ſi non fuerint Collegiales, vltra præfatum ſalariũ aſſignentur eis arbitrio Rectoris, & conſiliariorũ aliquæ domus, in quibus habitent de viciniorib us eidem Collegio, propter quæſtiones, & reparationes, quas circa horam prandij, & cenæ facere teneantur, & volumus, quòd nullus regentium poſsit habitare intra Collegium niſi ſit Collegialis, & tunc durante tempore ſuæ præbendæ duntaxat, & inſuper, Collegiales qui fuerint regentes, prætextu regentiæ in nullo excuſentur, ſed omnino aſtringantur ad omnia, quæ cæteri Collegiales tenentur, præterquàm ſi fuerint regentes ſummularum, logicorum, phyſicorumque, qui vt liberius, & abſque aliquo impedimento ſuis regentijs, & exercitamentis intendere valeant: ac propter aſsiduas lectiones ipſorum & alia exercitamenta ad quæ tenentur nullatanus ad aliqua officia domus aſſumantur: Regentes vero metaphyſicæ, & theologiæ tantummodo teneantur acceptare officium Rectoriæ, & Conſiliaratus, ſi ad ea, ſecundum formam noſtrarum Conſtitutionum fuerint electi: habeantque præfati Regentes ſuas habitationes, & cameras ſpacioſiores, & ampliores cæteris Collegialibus, eo tempore ſolum quo ſuis regentijs inſiſtunt, quas nos pro ſingulis Regentibus cum ſuis rotulis deputauimus. Et nullus ex præfatis regentibus intra Collegium commorantibus poſſit habitare niſi in camera pro ſua Regentia deputata. Cum vero contigerit, aliquem ex Regentibus habitare extra Collegium, poterit interim Camera pro tali Regentia deputata eligi ab

alio ex collegialibus ſecundum tenorem conſtitutionis decimæſeptimæ. Ita tamen ꝙ cum primum aliquis ex habitantibus intra collegium ſiue ſit collegialis, ſiue ſit capellanus, aut portioniſta fuerit electus ad regentiam, pro qua eſt huiuſmodi camera deputata, ſtatim ei abſq; aliqua mora libere dimittatur: Et idem volumus obſeruari ſi regens exiſtens extra collegiũ, fuerit electus in collegialem, vel capellanum, aut admiſſus in portioniſtam: Et licet panni pro veſtuarijs debeát eſſe eiuſdem precij, & coloris, in electione tamen pannorum, ſi qua eſt, & in ordine induendi, ſeruetur etiam ordo ſeſſionum: Statuimus inſuper, ꝙ huiuſmodi ſalarium, præfatis regentibus pręſtandũ, & quecunq; alia ſtipendia per collegium ſingulis annis, lectoribus, & quibuſlibet officialibus ipſius collegij præſtãda, perſoluantur in duabus ſolutionibus, prima videlicet in fine mẽſis Aprilis, vltima vero in principio menſis octobris cuiuſlibet anni, pręterꝗ ſalarium vltimi anni cuiuſcunq; ex regentijs artium, quod ſoluetur in duabus ſolutionibus, prima in principio menſis octobris tertij anni, ſecunda vero in feſto purificationis proxime ſequenti, in quarũ qualibet recipiet quadraginta florenos. Et prædictæ ſolutiones fiant à receptore præſentibus, Rectore, & cõſiliarijs prout ſuperius diſpoſitum eſt.

¶ *De abſentia Regentium, & lectorum.* XXXVII.

STatuimus, & ordinam', ꝙ ſi propter aliquã ingruẽtẽ neceſſitatẽ, quiſpiã regentiũ, vel lectorũ voluerit à collegio extra opidũ ſe abſentare, teneatur petere, & obtinere licentiam à Rectore, & conſiliarijs, qui ſi examinata cauſa, dignum duxerint, licentiam eſſe concedendam, poſſint illam concedere: Dummodo non concedant alicui regenti vltra triginta dies licentiæ in vno anno, ſiue continuos, ſiue interpolatos: Et volumus quòd dies, in quo regens prætermiſerit lectiones ſibi incurrẽtes, computetur in præfatis triginta diebus abſentiæ, ſiue prædictus regens ſteterit in Collegio, ſiue in oppido, ſiue extra niſi ſit infirmitate detentus, & inſuper ſtatuimus, quòd immediate poſt electionem Rectoris, & conſiliariorum, ſingulis annis in perpetuum eligantur per eoſdem Rectorem, & conſiliarios ſubſtituti pro ſingulis regentijs, perſonæ habiles, & ſufficientes, qui tempore abſentiæ regentium, vel cum præfati regentes ceſſauerint à lectione ob infirmitatem, aut aliam quancunque cauſam, præfati ſubſtituti loco ipſorum regentium teneantur continuare, & proſequi eandem lecturam, & omnia alia exercitamenta facere, ad quæ regentes tenebantur: Et teneantur præſtare iuramentum, quòd cum omni diligentia, & ſolicitudine, continuabunt lecturas, in quibus fuerint ſubſtituti, & ſubrrogati. Habeantque

que pro ſalario dimidium eius, quod ſecundum rectam computationē principalis tegens erat habiturus, & reſiduum reliquatur pro regentibus in præfatis primis triginta diebus, & nec præfati regētes poſſint alios q̄ prædictos ſubſtitutos dimittere. Sed ſi vltra præfatos triginta dies eorundem regentium abſentia durauerit, pro illo tempore nihil detur ei de ſalario ſuæ regentiæ, ſed dimidium detur ſubſtituto (vt præmiſſum eſt) & reſiduū ſit pro archa collegīj, & vltra pręfatos triginta dies expectetur regēs per alios triginta dies, vltra quod tēpus ſi non venerit, aut ſi intra idem tēpus nō probauerit, legitime fuiſſe detentū infirmitate, aut carceribus ſine culpa ſua, aut alia ineuitabili neceſſitate, perdat regentiam.

¶ *De lecturis, & exercitamentis ad quæ tenentur Regentes Artium.* XXXVIII.

QVoniam curſus artium, qui debet fieri more Pariſiēſi requirit exactam diligentiam, aſſiduumque laborem: Idcirco ordinamus, quòd quilibet regens in hac facultate teneatur legere librum ſibi aſsignatum quolibet anno eorum trium cum quatuor menſibus, per quos durat curſus, vt ſuperius diſpoſitum eſt. Ita videlicet, quòd regens primo anno legat ſummulas logicales Petri Hiſpani, vel alterius doctoris cum ſuis gloſis, & notabilibus, & argumentis prout Rectori, & facultati videbitur expedire, & legat regens præfatus duas lectiones ante meridiem, & vnam poſt meridiem cum ſuis quæſtionibus, & reparationibus quas faciat bis in die, ſed à die natalis beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli vſque ad aſſumptionem virginis poterunt Rector, & conſiliarij, ſi viſum fuerit expedire, diſpenſare cum regentibus artium, vt poſsint prætermittere vnam ex lectionibus, quæ leguntur ante meridiem, & reparationes quæ fiunt immediate poſt prandium, & etiam per idem tempus poſsint præfati Rector, & conſiliarij diſpenſare cum regenti bus medicinæ, vt prætermittant vnam ex duabus lectionibus, ita tamen quòd ſemper legatur vna lectio ante meridiem, & alia poſt meridiem. In ſecundo autem anno idem regens eiſdem auditoribus, & eiſdem horis legat textum logicæ cum ſuis gloſis, notabilibus, quæſtionibus, & argumentis, ſcilicet, librum Prædicabilium Porphyrīj, librum prædicamentorum Ariſtotelis, duos libros Perihermenias, duos priorum, & duos poſteriorum, quatuor Topicorum, & duos Elenchorum. In tertio vero anno idem regens eiſdem auditoribus, & eiſdem horis legat philoſophiam naturalem Ariſtotelis cum ſuis gloſis quæſtionibus notabilibus, & argumentis, videlicet octo libros phyſicorum, tres de cęlo & mundo, nam tertius dimitti poterit, duos de generatione, & corruptione,

tres meteororum, nam quartus dimitti poterit, etiam tres libros de anima licet primus eorum celeriter poſsit tranſcurri, & quatuor libros paruorum naturalium hoc eſt de ſenſu, & ſenſato, de ſomno, & vigilia de memoria, & reminiſcentia & de longitudine, & breuitate vitæ: Deinde in quatuor mēſibus reſidius vſque ad feſtum purificationis præfatus regens eiſdem auditoribus, atque eiſdem horis, legat ſex libros methaphyſicorum Ariſtótelis cū ſuis gloſis & quæſtionibus, ſi quis aūt ex regentibus ordinarijs ſophiſmata aut calculationes, directe, vel indirecte, publice, vel occulte legere præſſum pſerit, tam in lectionibus, reparationibus vel diſputationibus, quàm alio quocunque modo pro prima vice eo ipſo incurrat pęnam decem florenorum, pro ſecuñda vero viginti Archæ collegīj applicandorum, pro tertia vero ipſo facto priuetur regentia. Si autem alīj extra ordinarīj lectores, quicunque ſint, prædicta ſophiſmata, vel calculationes, alijs q̃ ſcholaribus, qui curſum ſuū cōſumauerint publice vel occulte, legere, vel docere attētauerit, eo ipſo expellatur ab vniuerſitate: Scholares quicūq; audientes prædictas calculationes, vel ſophiſmata, ante quàm curſum ſuum cōſumauerint, vt præmiſſum eſt, pro prima vice perdant curſus, quos peregerint, pro ſecunda efficiantur inhabiles ad recipiendum quemcūq; gradum in hac vniuerſitate: Pro tertia vero expellantur omnino à collegio, & vniuerſitate. Cæterum in præfatis duobus vltimis annis faciat regens quæſtiones, & reparationes bis in die ſicut in primo anno, in quæſtionibus tamen ſcholarium, non teneatur de rigore ad eſſe, niſi ſolus regens ſummuliſtarum, qui reſpondeat ad eorum dubitationes. Teneatur etiam regens ad reparationes communes, & ad concluſiones, ſeu ad diſputationes publicas, ita tamen ꝙ in vna hebdomada fiant reparationes communes, & in alias concluſiones viciſsim, ſeu alternatim, in quibus quidem reparationibus conueniant indifferenter regentes omnes, pariter & diſcipuli, ſcilicet, in concluſionibus ſolummodo debent ſuſtentare tres diſcipuli, ſcilicet, logicus, & phyſicus, & metaphyſicus, ſeu moralis, & ibidem teneantur intereſſe regentes eorum: Durabunt autem prædictæ concluſiones per totum diem, ante & poſt meridiem, ſed reparationes communes ſolum fieri debent poſt meridiem: Præterea decernimus, ꝙ ſi aliquando Rectori, & conſiliarīſs viſum fuerit, aliquem ex regentibus artium eſſe adeo habilem, & idoneum quòd de eo veriſimiliter credatur ꝙ ſi curſum ſuum in ſcriptis relinqueret, poſſet alīſs proficere in futurum, tunc idem Rector, & conſiliarīj teneantur tempore receptionis ad regentiam, vel infra ſex menſes eidem regenti iniungere, quòd curſum ſuum artium ad maiorem vtilitatem poſterorum, quantum dominus ſibi conceſſerit redigat in ſcriptis, & ſic redactum, & ſuis expenſis decenter conſcriptum Rectori tradere, & conſignare teneatur; vt intra

intra alios libros collegij poſsit reponi. Et vt melius curſum præfatum tranſcribere, & perficere poſsit. Volumus ꝙ vltra præfatos tres annos, cum quatuor menſibus, per quos durat eius regentia, vt permittitur habeat aliũ annum in quo poſsit ipſum curſum maturius digerere, & exacte limare, pro cuius labore recipiat ſtipendium, ſiue ſalarium integrum illo anno quemadmodum in primo, aut ſecundo Anno ſuæ regentiæ, ſuper quo Rectoris, & Conſiliariorum conſcientias oneramus, quòd niſi perſonis habilibus hoc præcipiant, vel iniungant, ſi quis vero ex præfatis regentibus hoc adimplere neglexerit, poſsint Rector, & Conſiliarĳ eũ à regẽtia expellere.

¶ *De curſibus, & examine Bacchalariandorum in Artibus.* XXXIX.

NEmo admittatur ad Bacchalariatum in Artibus, qui non legitime probauerit ſe feciſſe, & peregiſſe in hac vniuerſitate prædictos curſus, vt ſupra in Conſtitutione proxime præcedenti diſpoſitũ eſt, videlicet audiſſe ſummulas, & magnam logicã Ariſtotelis, & philoſophiam naturalẽ vſque ad quartum phyſicorum incluſiue. Quibus curſibus peractis, atque legitime approbatis facultas magiſtrorum artium in veſpere purificationis virginis Mariæ congregabitur quolibet anno ad eligendum tres magiſtros examinatores bacchalariorum, quorum vnus ad minus regens in hac vniuerſitate fuerit. nec vllus dictorum examinatorum ſit actu regens in quauis facultate, niſi alij magiſtri defuerĩt, & præfati examinatores poſtquàm fuerint electi, præſtabunt iuramentũm in præſentia facultatis, ꝙ ſecundum Deum & bonam conſcientiam approbabunt dignos, & indignos reprobabunt. Incipietur hoc examen, immediate poſt purificationẽ virginis, & fiet hoc modo. Sedeat examinandus coram tentatoribus in loco humili, capite detecto modo Pariſienſi, & primus examinator quærat de veritate, & falſitate, alicuius ſophiſmatis, loco examinis ſummularum, & contra reſponſionẽ quã dabit examinandus arguet ſolus ille exáminator vnico medio præciſſe. Deinde ſecũdus tentator quærat ab eo pro libro prædicabilium Porphyrĳ, vel textũ alicuius capituli, vel autoritatem aliquam eius, vel aliquid aliud pertinens ad illum librum. Ad quam quæſtiónem memoriter reſpondebit examinandus, & contra reſponſionẽ arguet ſimiliter ſolus ille examinator vnico medio. Conſequenter, tertius magiſter quæret, & arguet eodem modo circa librum prædicamentorum, & iterum primus circa librum Periher menias, & deinde ſecundus circa librum priorum, & ſic deinceps per omnem ordinem, tam librorũm quàm magiſtrorum, & finitis libris logicalibus, interrogent circa libros phyſicales. Sed non ſit in eis examen tam rigoroſum,

roſum,ſicut in logicalibus, ita quòd pro omnibus libris phyſicorum non fiat niſi vnica quæſtio, vel propoſitum, & ibi finietur examen. Quo finito magiſtri examinatores ſecreto conferant inter ſe, an ille ſit ſufficiens, & admittendus: quod ſi ita decreuerint omnes, vel maior pars eorum ſignent cedulã, quam præfatus ſcholaris accepit à regente ſuo pro teſtificatione auditionis librorum. Et tunc procedatur ad examen alterius eodem modo. Sic tamen quòd in vna die non examinetur niſi vnus aut duo duntaxat, & ꝙ non prętermittatur dies, quin vnus ad minus examinetur. fiat examen tempore quo lectiones ordinariæ non impediãtur, & examinatis omnibus bacchalariandis (vt præfertur) aſsignetur dies in quo præſentibus notario, & vedelis, regens ipſorum det omnibus eis, & inſimul gradum ſolutis prius omnibus expenſis, ſed ſi aliquis graduandus in hac noſtra vniuerſitate tam in prædicto gradu bachalariatus, quàm in gradu Licentiæ, magiſterij, vel doctoratus in quacunque facultate petierit admitti curſus, quos in alijs vniuerſitate dixerit ſe feciſſe, tunc demum cenſeatur præfatus curſus peregiſſe ad hoc, vt in noſtra vniuerſitate admittantur, quando legitimè probauerit, coram Rectore, & Decano ipſius facultatis in qua vult graduari, ſe audiſſe, & peregiſſe ea omnia, quæ ſecundum tenorem conſtitutionis quinquageſimæ ſextæ, de his qui volunt gradum alibi ſuſceptum iterum ſibi conferri, & de admittendis curſibus alibi factis requiruntur. cæterũ pro præfato gradu bacchalariatus in artibus, ſoluat vnuſquiſq; bacchalarius pro archa collegij vnum florenum, pro facultate vnum florenũ, pro ſuo regente duos florenos, pro examinatoribus alium florenorũ equaliter diuidendum inter eos, pro notario dimidium florenum, pro vedellis alium dimidium, ita ꝙ expenſæ ordinariæ, & neceſſariæ vnius bacchalarij artiſtæ non excedant ſex florenos, ſed ſi cõtingat aliquem ex collegialibus, aut capellanis quemcunquè gradum in alio collegio, vel vniuerſitate recipere, eo tempore quo moratur in collegio, eo ipſo perdat præbendam. Etſi fuerit de vniuerſitate priuetur omnibus priuilegijs, & commodis ipſius, nec ad eandem amplius poſsit admitti. Prohibemus inſuper ne prædictum examen bacchalariandorum in artibus, nec quodcunque aliud, in quacunque facultate poſsit fieri priuate, aut ſecrete, ſed fiat publice in gymnaſijs collegij, alias examẽ ſit ipſo facto nullũ, & habeatur pro infecto.

¶ *De curſibus, & examine Licentiandorum in Artibus.* XL.

POſt bacchalariatum, qui voluerit ad gradum licentiæ in artibus peruenire teneãtur cõtinuare lectiones vſq; ad finem philoſophię naturalis, ſub

ſub regente eiuſdem facultatis, quo finita audiet ab eodē regente ſex libros metaphyſicæ, audiet, & à lectore Ethicorū ad minus ſex libros moralis philoſopiæ, & in quarto anno poſt feſtum Purificationis virginis teneantur omnes bacchalarij volentes licentiari, reſpondere bis de cōclusionibus ſub præſidentia ſui magiſtri regentis, hoc modo. Primo enim quinq; ex doctoribus, bacchalarĳs ponent cōclusiones eodem die præſidente ſuo regente, quorum primus habeat concluſiones in logica, ſecundus in philoſophia. i. in doctrina octo librorum philoſophicorū. Tertius in naturali philoſophia de reſiduis libris. Quartus in metaphyſica, Quintus in morali doctrina. ad quas concluſiones inuitentur ad arguendum, magiſtri, & doctores theologiæ, & artium, & medicinæ, ita ꝙ nulli alĳ arguant infra iſtos gradus. Et ſi præſidenti videbitur poterit moderari tempus, & numerū arguentiū theologorum, & medicorum, vt magiſtris in artibus ſuperſit tempus ad arguendum, & iſte actus durabit à meridie vſq; ad veſperum, qui apud Pariſieñ. dicitur reſponſiones magnæ. Poſt aliquot dies reſpondebunt alĳ quinque ſimilimodo, & ſic conſequenter quouſq; omnes bacchalarĳ fecerint ſuas reſponſiones magnas per quinarios numeros, ordo autem, & loci huiuſmodi reſpondentium diſponentur ad arbitrium Rectoris, & regentis, atque decani facultatis, attenta ſolum eruditione cuiuſque, nō oportet autem, quòd in eis omnibus fiat tanta ſolennitas actus ſicut in primis quinque reſpondentibus, nec oportet, quòd ſemper regēs eorum ſit pręſidens in omnibus reſponſionibus, ſed poterit dare alium præſidentem qui ſit regens pro iſtis reſponſionibus. Habebit regens à quolibet ſuo diſcipulo bachalario vnum florenum, & vedelli duos argenteos. Durabuntque præfatæ reſponſiones maiores vſque ad feſtum annunciationis beatæ viriginis præciſe poſt iſtas reſponſiones iterū quilibet bacchalarius teneatur eodem anno facere alias reſponſiones minores, ideo ſic dictas, quia non cum tanta ſolennitate fieri ſolent, ſed modus reſpondendi, & præſidendi erit omnino ſimilis alĳs, excepto, quòd in eis poterunt admitti ad arguendū bacchalarĳ condiſcipuli reſpondentium, ſemper tamen arguat ſaltem vnus magiſter. & pro his reſponſionibus nihil ſoluant bacchalarĳ reſpondentes, & durabunt iſtæ reſponſiones minores vſque ad feſtum ſancti Ambroſij præciſe, quo die aperitur, & incipit examen Licentiandorum. Nemo autem ad hoc examen admittatur in hac Vniuerſitate, qui non legitime probauerit ſe poſt Bacchalariatum feciſſe curſus, & reſponſiones prædictas. In feſto igitur Sancti Ambroſij præfato, congregabuntur, Rector, Decanus, & Magiſtri facultatis Artium, ad eligendum quatuor Magiſtros examinatores Licentiandorum, quorum vnus ſaltem ſit, vel fuerit regens Artium in hac Vniuerſitate, de quorum numero niſi

niſi in magna penuria magiſtrorum non poſsit eſſe præceptor examinandorum. Iſti deinde magiſtri ſic electi præſentabuntur per vedellum cancellario, qui cum eis poterit examinare licentiandos, ſi fuerit doctor in theologia, vel dare vnum vicecancellarium loco ſui qui ſit etiam doctor in theologia, ꝙ ſi ipſe cancellarius nō examinauerit, nec dederit aliquem doctorem in theologia, qui examinet, loco ſui prouideat Rector de pſona idonea die ſequēti, aut ſaltem infra triduum incipient facere examē ante prandium, & poſt vſq; ad veſperam, obſeruādo pęnitus eundem ordinem, & modum qui dictus eſt in examine baccalariandorum, hoc tamen excepto ꝙ hic nō proponatur ſophyſma & fiat maior examinatio circa phyſicalia, & metaphiſicalia, & moralia, quàm circa logicalia, & ꝙ in paruis naturalibus quærant examinatores, quolibeta, & problemata valde pratica, & vulgaria, aut iocoſa, examinentq; quolibet die vnum ad minus, & ſi bachalarius examinandus ſit valde doctus duret examen per totum diem, nec plures tamen quàm duos in eodem die examinari debent, facto autem examine omniū intrantium per ſingulos dies, Rector & cancellarius cū examinatoribus cōpellat examinandos facere epiſtolas aut verſus, aut hymnos ad probandum eorum ſufficientias etiam in libris humanitatis ad probandum quoq; eorū humilitatem, & pacientiam, faciat eos ſedere in terra & tunc ſoli tentatores poterunt eos conuicijs laceſſere citra tamē omnem iniuriam, & ſeruata omni modeſtia, non ſurgant de terra donec quæratur, ſi placet omnibus circunſtantibus, ꝙ promoueantur ad illum gradum, & ſi aliquis contra ſe opponat allegando aliquam iniuriam irrogatam, non admittatur, donec ſatisfecerit ad arbitrium rectoris, & examinantium. Nullus etiam qui ſit in famis, letigioſus, ſcandaloſus, aut inhoneſtus notabiliter ad talem gradum aſſummatᷣ pro hoc examine, dabit quilibet examinatus duos florenos equaliter diuidendos inter quinque tentatores.

¶ *De Licentijs Artium.* XLI.

FActo examine cuiuſlibet licentiandi, immediate conueniant ſecrete Rector, & quinque examinatores more Pariſienſi, ad conferendum de ſufficientia examinati: vt melius videatur titulus honori ſibi debiti, & ſic fiat quotidie vſq; ad finem totius examinis, & continuo infra triduum cancellarius vniuerſitatis, congregatis examinatoribus, adiuratiſq; accipiat cedulas omnium licētiandorum, & dabit eas cuilibet examinatori vt ſecrete eligant primum Licentiandorum, habendo principaliter reſpectum ad ſufficientiam literarū, ipſemet cancellarius, vel pro cancellarius, qui fuit in examine iurabit, & dabit cedulam ſuam ſecrete, poſtea, viſitatis cedulis ille

erit

erit primus licentiandorum,qui plures habebit cedulas, & ſcribetur nomen eius in principio rotuli conficiendi. Similis modus eſt tenendus in electione ſecundi, & tertij, & cuiuſlibet aliorum vſque ad finem rotuli: Quo peracto, ſtatim fiant duo rotuli eiuſdem tenoris, Quorum vnum retineat antiquior examinatorum; alterum verò cancellarius ponat in manu vedelli, & conuocatis omnibus eis per ſua nomina ſecundum illum ordinem per vocem vedelli ſedeant coram Rectore, & cancellario in ſuo ordine ad recipiendam licentiam: fiat iſte actus in eccleſia collegiali ſanctorum Iuſti, & Paſtoris, vel alibi prout Rectori, & facultati viſum fuerit expedire: Sedentibus autem ſic licenciandis, cancellarius proponat quæſtionem ſpectatoriam, ſi opus fuerit, ad quam reſpondebit ſecundus bacchalariorum, qua finita quæſtione, primus eorum nomine omnium faciat elegantem orationem laudibus ſcientiarum, maxime liberalium artium, & de laboribus ſuis circa illas facultates, & tandem ſupplicabit cancellario pro licentijs ad magiſterium in eadem facultate: reſpondebit etiam cancellarius eleganti ſtillo, laudando facultatem illam, & etiam illos licenciandos, & tandem accepto iuramento eorũ cõcludet faciendo eos licentiatos, autoritate apoſtolica ſibi cõceſſa. &c. & dictis atq; perſolutis gratijs Deo & cãcellario per primũ licentiatorũ nomine aliorum omnium recedant in pace, & gaudio, ſoluent iſti licentiati pridie ante hunc gradum expẽſas ordinarias, quæ non excedãt nouẽ florenos nam quilibet eorum dabit duos florenos pro archa collegij, pro facultate artium alios duos, & duos pro ſuo regẽte, & vnã facem cereã pro cancellario, & vnum florenũ pro vedellis, & vnũ pro notario, qui teneatur ſibi dare literas licẽtiæ (vt moris eſt) iſte actus nõ fiat niſi ſemel in anno, nec in alio tempore quiſpiã admittatur ad licentiam.

¶ *De gradu magiſterij Artium.* XLII.

POſt licentias, infra octo dies primus Licentiatorum faciat magiſterij ſui ſolẽnia nã inuitatis dominis, & amicis ſuũ gradũ decorãtibus conueniãt omnes decani, & regentes omnium facultatum cum Rectore, & Cancellario vniuerſitatis ad capellam noſtri collegij, vel ad aliquem alium locum pro arbitrio clauſtri vniuerſitatis: vbi cancellarius primò quæſtionem politicam proponet magiſtrando ſtanti coram eo capite detecto, quæ ſpectatoria dominorũ inuitatorũ dicitur. Deinde idẽ cancellarius, vel tenens locũ eius habeat elegantẽ cõmendationem ſcientiarũ ipſius magiſtrãdi. Tandẽ dabit ei gradũ, & imponat ei birretum cũ inſignis magiſtralibus, quo accepto ſedebit iuxta Rectorẽ, & conſiliariũ nouus magiſter, & finiet ipſemet actum ſuũ in gratiarũ actionibus ad Deũ, & ad Rectorẽ, & conſiliariũ, & ad

omnes magiſtros, interea dum iſtá fiunt diſtribuet vedellus Rectori, & cancellario atq; decanis, & vniuerſis regentibus omnium facultatum ſingulos birretos tantummodo cum chirotecis, licet gerant plures perſonas vel dignitates, & quilibet birretus valeat ad minus dimidium florenum. Et chirotecę valeant vnum argenteum, & non dabūtur iſta niſi magiſtris præſentibus, & deferentibus inſignia, propter decorē illius actus, vel egrotis in oppido, vel occupatis in negocijs ſuarum facultatū, et ſingulis magiſtris, etiā non regentibus, diſtribuantur chirotecæ, ipſo die vel præcedente ſoluet dictus magiſter, pro facultate duos florenos, pro ſuo regente etiam duos, pro vedellis etiam vnum florenum, & pro notario duos florenos cū chirotecis, & pro cancellario etiam facem ceream, & pro refectorio collegij quatuor florenos ad meliorandū prandiū: facto primo magiſterio ſolius primi, deinde cōſequenter, alij ſuo ordine rotuli ſingulis octo diebus magiſtrētur duo ſimul ad plus, ita ꝙ expēſæ ſint æquales, tā pro primo quā pro quolibet aliorū, volumus tñ, ꝙ ſi vltimus licentiatorū non haberet parem, ꝙ ille admittatur ad magiſterium cum duobus præcedentibus, ita quòd in tali caſu præciſe poſſint fieri tres magiſtri ſimul. Eſt tamen aduertendum ꝙ præbendati, & capellani huius collegij non teneantur in ſuis gradibus ſoluere expenſas, quæ notātur pro archa eiuſdem collegij, item ꝙ facultas, cum pauperibus, & cameriſtis familiaribus, & ſocijs, diſpenſet in expenſis, vel in totum, vel in partem ſecundum conditionem, & facultatem cuiuſlibet bene exploratam, item quòd ſi aliquis magiſtrandus noluerit recipere gradum in ſuo die iuxta ordinem ſuperius traditum, alius poſt ipſum immediate ſequens poſsit recipere gradum in tali die. & quamuis ille erat prior licentiatus, iſte erit prior magiſter, & præcedet eum deinceps in facultate. Item ordinamus quòd ſi aliquis, poſtquam compleuerit curſus ſuos pro quocunq; gradu diſtulerit ſuſcipere illum gradum, teneatur nihilominus, ſoluere ſuo regenti omnes expenſas ordinarias, quas habiturus eſſet ſi talem gradum ſuſcepiſſet Pecuniæ huius facultatis artium cōmendentur vni fideli magiſtro, quæ ſint expendendæ per diſtributionē magiſtrorū intereſſentiū miſſis, & veſperis ſolennioribus in capella huius collegij, & proceſſionibus, & pro alijs neceſſitatibus facultatis. Teneatur autē vnus de vedellis ante meridiē denuntiare ſingulis regentibus, ꝙ cōueniāt ad prædictas veſperas, & miſſam ſuſcepturi diſtributiones. & ſtatuimus, ꝙ in diſtributionibus quæ vnicuiq; facultatū per has noſtras conſtitutiones, in collatione graduū, vel alias quouis modo applicātur, & circa alia quæcūq; eas facultates cōcernētia, ſemper Rectori noſtri collegij. & vniuerſitatis aſſiſtat, & de ſingulis diſtributionib⁹ præfatis partē tanq̄ vnus de magiſtris, & doctoribus, aut regētibus de qualibet facultate recipiat: & aliter nullatenus poſsit quicq̄ expediri. Volumus inſuper

inſuper ꝙ gradus requirentes inſignia, qui ſunt videlicet, magiſterij artiũ, & bacchalariat⁹ formati, & doctoratus in medicina, & iure Canonico, & in theologia, non conferantur alicui, niſi prius ſua propria habuerit inſignia ad talem gradum requiſita, & ſi forte aliquando aliquis ex graduatis tẽpore tus fuerit non habere ſua propria inſignia (vt præmiſſum eſt) non gaudeat diſtributionibus ſuæ facultatis per omne tempus, quo huiuſmodi inſignibus caruerit.

¶ *De cathedris Theologiæ, & tempore quo durabit earum regentia.* XLIII.

QVoniam iuxta ſententiam eccleſiaſtes, verba ſapientium, & magiſtrorum conſilia ſeu ſententiæ, ſicut ab vno paſtore, & magiſtro data ſunt, ita etiam valde deſiderabile, & amplectendum foret, ſi ſcriptores ſuper pattum ſententias, & earum tractatores in ſuis vijs, & proceſſibus in vnam aliquam ſententiam conuenirent. Sed de his hactenus. Nos autem vt eccleſiaſticis bellis in ſuis exercitijs, & conflictibus, in aliquo differamus, & præcipue propter communem tolerantiam: idcirco ſtatuimus, quòd in noſtro Collegio, vltra lectiones textus biblię, & magiſtri ſententiarum, quas bacchalarij curſantes in theologia ordinarie tenentur legere, ſint etiã in theologica facultate tres cathedræ magiſtrales iuxta illas tres vias in ſcholis his temporibus frequentatas, videlicet doctoris ſancti, & Scoti, & nominalium, quas regant tres regentes, qui ſint magiſtri in theologia, ſicut in conſtitutione, de electione regentium fuit diſpoſitum: iuxta quod, quotidie prædicti tres regentes teneantur ordinarie legere ſex lectiones, per ſex horas integras, hoc ordine, ſcilicet, quòd regens cathedrã iuxta viã, & doctrinam ſancti Thomæ legat quotidie duas lectiones de eadem doctrina, vnam lectionem ante meridiem, & alterã poſt meridiẽ. Similiter regens cathedram iuxta viã Scoti, teneatur etiam legere de eadem via alias duas lectiones, vnam ante meridiem, & alteram poſt meridiem, Regẽs verò cathedram iuxta viam nominalium legat etiam de eadem via alias duas lectiones, vnam ante meridiem, & aliam poſt meridiẽ (ſicut dictum eſt) excepto, ꝙ à Paſcha reſurrectionis vſq; ad feſtum ſancti Lucæ lectio veſperorum ſit de moralibus ethicis, videlicet politicis, & œconomicis Ariſtotelis. Ità ꝙ tempore quatuor annorum ſuæ regentiæ poſſit ſemel legere totum textũ Ariſtotelis prædictorum moralium. Et licet ſuperius in conſtitutione, quæ loquitur de electione regentium, ſit diſpoſitum, quòd Rector, & conſilarij, ex cauſis ibidẽ cõtẽtis poſſint alterare, ſiue mutare quaſcũq; lecturas, ſiue lectiones. Volum⁹ tñ, ꝙ præfatæ tres lectiones videlicet, ſancti Thomę, Scoti,

& nominalium quotidie ante meridiem legi debeant, & prædicta lectio de moralibus Ariſtotelis, quæ à paſcha vſq; ad feſtū ſancti Lucę, legi debet, nullatenus mutari, aut variari poſſit, ſed in alījs veſpertinis lectionibus prædictarum triū viarū ob defectum ſiue penuriā audientiū, vel ex alījs iuſtis cauſis habeat locū cōmutatio lectionū, attenta ſemper vtilitate, & profectu audiētiū, prout in præfata cōſtitutione cōtinetur. Durabitq; cuiuſlibet iſtorū regentia per quatuor annos integros præciſſe, vt poſſit quiſq; magiſter curſum theologicū ſuæ lecturæ ſufficiēter cōſummare, elapſis autē pręfatis quatuor annis vacabit cuiuſq; ipſorū regētia, ad cuius oppoſitionē, poſsit iterū, quilibet eorundē rurſus in regentem eligi. Et inſuper teneatur vnus ipſorū ſemper aſsiſtere priuatis cōcluſionibus, & diſputationibus collegīj ſucceſſiue per ſuas hebdomadas, ſub pęna dimidīj vnius floreni per omnes tres regentes ſoluēdi, & archæ collegīj applicandi. Cęterum cum per Rectorem, & conſiliarios, regentes, & lectores noſtri collegīj, & vniuerſitatis fuerit ordinatum, vt præfati regentes, & lectores, aliquibus diebus feſtis, teneantur nonnullas lectiones legere, & alia exercitamenta facere, ne omnino otio daretur ſcholaribus aliqua materia vagandi, vel alijs illicitis, ſe immiſcendi. Quare pro communi ſtudentium vtilitate petierunt eandem ordinationem ſibi confirmari, ideo præcipimus vniuerſis, & ſingulis regentibus, & lectoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, præfatam diſpoſitionem ab omnibus, & ſingulis, ſub pęnis ibidem contentis in perpetuum, inuiolabiliter obſeruari.

¶ *De exercitamentis theologicis, & diſputationum frequentia in eadem facultate.* XLIIII.

LEctiones continuas audire theologis parum proficeret, niſi etiam diſputationum, & concluſionum exercitamenta inter eos vigerent frequenter. Qua propter ſtatuimus q̄ vltra theologicos actus curſantium ad gradus ſuos: ſint apud theologos concluſiones per omnes, & ſingulas hebdomadas diſputandæ, ſuper lectiones ordinarias, vel ſaltem non prætereāt duę hebdomadæ, ſine dictis concluſionibus, quæ quidem concluſiones theologicæ tam curſantium ad gradus, quàm non curſantium, & quæcunq; aliæ cōcluſiones theologicæ diſputandæ in noſtra vniuerſitate, ſtricte præcipimus, & mandamus, vt prius approbentur per præſidentem, vel ſi ſit alphōſinā, per priorem, & poſtea nihilominus approbentur, & per Decanum facultatis theologicæ vt ſecundum apoſtolum enutriti verbis fidei & bonæ doctrinæ continue exerceant ſe ipſos ad pietatem, & ita profectus eorum, ſemper manifeſtus ſit omnibus, contrarium vero facientes, arbitrio Rectoris,

&

& facultatis theologicæ grauiter puniantur. Erit autem ſemper decanus tā in theologia, quàm in alijs facultatib' doctor, ſeu magiſter antiquior in gradu in illa facultate. Qui in omnibus immediate poſt Rectorem cæteros omnes eiuſdem facultatis præcedere debet, cæterum concluſiones præfatas teneantur proponere, & ſuſtentare præbendati, & cæteri theologi intra collegium habitantes ſecundum ordinem ſuarum antiquitatum, & contra eas teneantur argumētari omnes ſupradicti, excepto Rectore, propter ſuas occupationes. Et ſi alij quicunque argumentati voluerint admittantur, & poſſint etiam argumentari, data temporis opportunitate. hæ concluſiones affigantur in valuis capellæ, ac refectorij per viginti quatuor horas ante illarum diſputationem. Diſputatio ipſarum erit die ſequēti immediate poſt prandium, & in diebus, in quibus non fiunt reparationes communes artiū, vt poſſint omnes regentes eiſdem intereſſe, ſi voluerint. præbendatus non ponens concluſiones in die ſibi aſſignato mulctetur vno argenteo, & cogatur illas ponere in hebdomada proxime ſequenti, ſed ſi quis contra eaſdem non argumentatus fuerit niſi ex aliqua iuxta cauſa habuerit à Rectore licētiam, ſoluat quartam partem vnius argentei. In his concluſionibus teneatur præſidere vnus de regentibus theologiæ (vt ſupra diſputatum eſt) quidem regens poſſit omnibus intereſſentibus ſilentium indicere, vt euitetur confuſio. Liceat tamen cæteris doctoribus ad maiorem fructum audientium ſententiam ſuam dicere: Poſſit etiam præfatus regens inobedientibus imponere mulctam, quā Rector exequi teneatur: Si quis autem propter inſtantem egritudinem, vel ſuperuenientem neceſsitatē ab huiuſmodi diſputationibus ſe abſentauerit, nullatenus puniatur niſi qui ad effugiendū iſtum laborem, ficta infirmitate, aut neceſsitate aliqua ab huiuſmodi conflictu ſe ſubtraxerit, quod multis argumentis, & circunſtantijs facile patebit. Quæ culpa ſi in aliquem ex collegialibus aliquando reperiatur: Volumus ꝙ in eum grauiter animaduertatur ipſius antiquioris regentis conſcientiā nimium onerantes: Pecunia vero quæ ex huiuſmodi pęnis, & mulctis obuenerit, applicabitur per Rectorem vtilitatibus ordinariæ mēſæ refectorij vniuerſorum collegialium.

¶*De curſibus Bacchalariorum in Theologia.* XLV.

ET quoniam theologica diſciplina cæteris ſcientijs, & artibus pro ancillis vtitur, ideo nemo admittatur ad curſandū in theologia, niſi iam peregerit omnes ſuos curſus in facultate artium, ſiue fuerit graduatus magiſter in eis ſiue non, & non debet permitti, ꝙ aliquis curſet ſimul in duabus facultatibus. Volētes ergo ad gradum bacchalariatus theologici peruenire,

debēt quator annis fere audire lectiones theologicas, ita videlicet q̄ per maiorem partem cuiuſlibet eorum adiant continue ab aliquo ex cathedraticis eiuſdem facultatis, & per duos annos ex eiſdē quatuor, vel per maiorē partē eorum audiant lectiones bacchalariorum curſantiū de textu bibliæ, & magiſtri ſententiarum. ſed facultas theologię poterit diſpenſare de quarto anno cū magiſtris in artibus, quibus elapſis corā facultate theologorū ſe poterit pręſentare, & probatis ſuis quatuor curſibus, facultas teneatur ſtatim aſſignare ei vnū doctorē theologū ad præſidendum in ſua diſputatione tentatiua, quæ fiet ſolēniter cū ſuo codice, & arguent omnes doctores theologi, & omnes bacchallarij eiuſdem facultatis cū ſuis inſignijs, & nunq̄ bacchalarij arguāt, niſi habuerint inſignia, ſingulis medijs præciſſe: quorū præſidens requiret conſiliū, an videatur ei ſufficiens ad legendū magiſtrum ſententiarū. pro iſto actu dabit magiſtro præſidēti vnū florenū, cæteris doctoribus eiuſdē facultatis, & vniuerſitatis arguētibus binos argenteos, & item vedelis duos argēteos. Poſtq̄ ſic reſponderit de tentatiua, teneatur arguere in actibus theologicis ſub pęna duorum argenteorum. admiſſo dicto bacchalario ad lecturā ſententiarum incipiat legere poſt feſtum ſancti Lucæ, & faciat ſolenne principiū primi libri ſententiarū ſub præſidente alio, à primo ſibi dato per facultatē, in quo poſt laudes theologiæ, & declarationē alicuius quæſtionis pertinentis ad prohemiū ſententiarū, quod totū fiat ſine codice, arguent contra eū omnes ſupradicti doctores, & bacchallarij ſingulis medijs, & erunt expēſæ tales, & tantæ ſicut in tentatiua diſputatione: ſed in principio ſecundi ſentētiarum præſidebit etiam doctor idem qui in primo principio, & arguent ſoli bacchalarij ſingulis medijs, nec ſoluet expenſas vllas in hoc ſecundo principio, niſi vedellis quibus dabit ſingulos argenteos. Tertiū principium erit ſolenne ſimile primo, & cum ſimilibus ſumptibus, ſed ſub alio præſidente, in quo principio, quia efficitur bacchalarius formatus in theologia, vltra hæc dabit duos florenos pro archa collegij, & duos pro archa facultatis, & vnum florenum pro notario vniuerſitatis, & alium pro vedellis, & in hoc arguent doctores, & bacchalarij de prima licentia duobus medijs, & alij vno medio. Quartum principium vltimi libri ſententiarum erit ſine expenſis omnino ſimile ſecundo principio, & ſub eodem præſidente cum tertio principio, nam quilibet doctor præſidens tenetur pro vno floreno præſidere, aut dare præſidentem in duobus principijs: Durabit hæc lectura magiſtri ſententiarum per annum cum dimidio, ita quòd finiatur in paſchate dominicæ reſurrectionis, alij ſecundi poſt principium eiuſdem lecturæ. Et legatur vtiliter textus magiſtri cum ſuis quæſtionibus, & notabilibus non prolixis, taliter quòd alij auditores curſantes proficere poſſint. nec legat in feſtis Eccleſiæ. Elapſis vero quindecim

cim diebus poſt paſcha penthecoſtes incipiet legere dictus bacchalarius de biblia, & legat vſq; ad feſtum ſancti Lucæ Euangeliſtæ duos libros, vnũ veteris, alium noui teſtamẽti, quos ipſe ad libitum elegerit, quibus præmittet vnũ principium de laudibus ſacrarum ſcripturarũ, & de cauſis materiali, & efficienti illius libri. hoc principium erit ſine præſidente, & ſine argumentis, & ſine expenſis. legẽt autẽ hos libros bacchalarij vtiliter, & publice.

¶ *De curſibus Licentiandorum in Theologia.* XLVI.

EXpleta lectura ſententiarum, & bibliæ per duos annos, conſequenter bacchalarius teneatur per alios duos annos aſſiſtere omnibus actibus theologicis, & arguere in eis ſub pœna duorum argenteorum pro qualibet vice, qua non arguerint: teneantur etiam quatuor actus ſolennes facere in hoc ſecundo biennio, id eſt, quater reſpondere, & ſuſtentare concluſiones: vnus actus erit, quodlibeta de varijs materijs, tum theoricis, tum practicis ſub doctore præſidente, in quo actu ſi opus ſit, proponatur primo quæſtio expectatoria, & arguent bacchalarij vnico medio: deinde reſpondeat quodlibetis ſingulorũ magiſtrorum, & ad argumenta, & replicas eorum. Tertio reſpondebit, ad quodlibeta ſibi propoſita ex parte eccleſiæ collegialis ſanctorum Iuſti, & Paſtoris, & eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & monaſterij ſancti Franciſci huius noſtri oppidi, & ad alia quæcunque quodlibeta, ſi quæ alia per Rectorem, & facultatem ſibi proponenda videbuntur expenſæ huius actus ſimiles ſint expenſis tentatiuæ. Alius actus erit parua ordinaria, de materia ſubtili, ſicut in tentatina, ſub doctore præſidente cum ſuo codice memoriter, in quo actu arguent doctores, & bacchalarij omnes ſingulis medijs. alius actus dicetur magna ordinaria de materia morali poſitiua, & caſibus conſcientiæ: in quo etiam actu ſub docto re præſidente facto prolixo codice, & memoriter recitato, arguent magiſtri theologi, & bacchalarij de prima licentia duobus medijs. Alij vero legentes ſententias, & qui reſponderint de tentatiua arguent vnico medio præciſſe: alius actus vocabitur ex titulo huius collegij Alphonſina correſpondens Sorbonicæ Pariſienſi, eius materia ſit alta, & difficilis in theologia, actus iſte ſit ſine præſidente, & durabit per totum diem, Sed cum vno priore Bacchalario ad exercitium codicis memoriter recitandum tam ab arguente, quàm à reſpondente: pro quo eligendo antiquior bacchalarius de prima licentia congregabit omnes bacchalarios eiuſdem licentiæ in die ſancti Illefonſi veſperi, & omnes per ſuffragia ſecreta præſtito prius per eoſdem iuramento, de eligendo ſufficientiorẽ ad huiuſmodi officiũ, eligent vnum ex bacchalarijs eiuſdem licentię. Poterunt tamen ſi maiori parti eorũ

viſum fuerit vocaliter eligere aliquem bacchalarium etiam currẽtem, quando propter impedimẽtum, vel aliqua alia cauſa videretur, ꝙ nullus bacchalarius de prima licentia poſſet huiuſmodi officium exequi. Prior vero ſic electus teneatur omnes codices Alphonſiuarum illius anni cum reſpondente memoriter recitare. Pro codicibus autem à præfato priore faciendis, teneantur bacchalarĳ illo anno reſponſuri de alphonſina tradere concluſiones dicto priori infra triduum, poſt ipſius electionem ſub pœna duorum florenorum facultati applicandorum, & ꝙ tunc ſit in arbitrio ipſius prioris eas admittere: admiſſis vero concluſionibus alicuius reſpõſuri ſi per dictum priorem ſteterit, quominus huiuſmodi alphonſina tempore per facultatem aſſignato fiat, incurrat eandem pœnam duorum florenorum pro qualibet vice: ſi vero aliquis ex bacchalarijs reſponſuris de alphonſina voluerit facere ſibi ipſi codicem, poterit hoc facere de licentia prioris, nihilominus teneatur tradere priori cõdicem factum, quadraginta dies ante diẽ in quo reſponſurus eſt de alphonſina, ſub pœna etiam quatuor florenorum, facultati theologicæ applicandorum, & ꝙ tunc etiam ſit in poteſtate prioris codicem admittere, admiſſo vero, ſi per dictum priorem ſteterit quominus dicta Alphonſina tempore aſsignato per facultatem fiat, incurrat etiam pœnã quatuor florenorum facultati applicandorum pro qualibet vice: iſte prior explicatis difficultatibus codicis replicabit vltimo tribus medijs contra cõcluſiones vel reſponſiones ſuſtinentis. Deinde alij doctores, & bacchalarĳ formati arguant binis argumentis cum ſuis replicis prolixe, alĳ vero ſingulis medĳs arguant, nec tamen audiãtur in replicis ſuis. Omnes iſti quatuor actus ſint æquales in expenſis pecuniæ, excepta alphonſina quia nihil dabitur ꝑiori de rigore ſi nollet reſpondens: nec oportet, quòd in iſtis quatuor actibus faciendis neceſſario ſeruetur ordo prædictus, niſi quòd maiores eorum regulatiter fiant in prolixioribus diebus anni, alphonſinæ vero fiant quolibet anno, ſextis ferijs inter paſcha reſurrectionis, & penthecoſten. Ita quòd incipiant ſexta feria ſecundæ hebdomadæ poſt reſurrectionem, niſi eſſent plures quàm ſex reſponſuri illo anno de alphonſina, nam tunc quilibet occupauit ſuam hebdomadam incipiendo à prima ſucceſſiue etiam vltra penthecoſten ſi plures fuerint, quàm ſeptem reſponſuri. Inceptis autẽ alphonſinis modo prædicto, nulla fiat interruptio, quominus ſingulis hebdomadis fiant ſingulæ Alphonſinæ, & non amplius vſque dum omnes finiantur, quòd ſi reſponſuti illo anno de alphonſina fuerint pauciores quàm ſex, tunc finitis alphonſinis bacchalariorum de prima licentia poterunt alij curſantes bacchalariandi in reliquis hebdomadis vſque ad penthecoſten reſpondere de alphonſina: qui actus more Pariſienſi valebit eis pro tentatiua, & non tenebuntur ad ſolutionem floreni

floreni qui in tentatiua debetur præſidenti: propter grauitatem autem,& dignitatē huiuſmodi actus, Volumus ꝙ illis ſeptem hebdomadis alphonſinarum ſint vacantiæ à lectionibus bacchalariorū curſantiū, & aliĳs actibus theologicis,& ſermonibus bacchalariorū: neq; permittant etiā in aliĳs actibus ſine diſpenſatione facultatis,ꝙ duo actus theologici ſolēnes,hoc eſt in quibus magiſtri arguūt fiant in eadē hebdomada, idē cēſemus de veſperĳs, & doctoratu,ſeu magiſterio. Teneatur etiā in quolibet præfatorum duorū annorū poſt ſuam tentatiuam quilibet bacchalarius facere vnū ſermonē latinum in capella huius collegĳ corā tota vniuerſitate in feſtis ſibi per facultatē aſſignatis:vt paulatim aſſueſcāt prædicationē ſanctarū ſcripturarū,qui debet eſſe finis præcipuus theologorū.Pro diſponēdis aūt omnibus actibus theologicis toto anno faciēdis,volumus ꝙ ſingulis annis immediate poſt feſtum omniū ſanctorū Rector teneatur cōgregare facultatē theologicam, vt ſingulis bacchalarĳs curſantibus,tā currētibus,ꝗ formatis, & cæteris reſpōſuris de tētatiua,aſſignet ſuas hebdomadas,pro ſuis actibus,& dies pro ſermonibus faciēdis:attēta vtilitate ſcholę,& varietate actuū:ita ꝙ ſi fieri poſſit nō deſit ſingulis annis omnis diuerſitas actuū,& prouideat tunc facultas ꝙ medietas bacchalariorū de prima licētia reſpōdeat de alphonſina primo anno vltimi bienĳ,& medietas reſeruetur pro ſecūdo, & ſimiliter ꝙ actus, & ſermones omniū licēciandorū ſint finiti in calēdis nouēbris anni licētiarum, quo die abſoluūtur ab omnibus laboribus curſus:nec poſt hūc diē aſſignetur alicui licēciādo aliquis actus illo vltimo anno bacchalarius vero,aut ali⁹ curſans qui aſsignatā ſibi hebdomadā pro actu,aut diē pro ſermone prętermiſerit,ſi fuerit ex capellanis, aut collegialibus tā principalis collegĳ, ꝗ cæterorū collegiorum pauperum incurrat pœnā duorum florenorū. Quòd ſi diſtulerit vltra mēſem,ſine expreſſa licētia facultatis, eo ipſo perdat prębēdam,iuxta tenorē cōſtituionis ſeptimæ de qualitate eligēdorum ad præbendas,& curſibus per eos neceſſario faciendis.&c. Reliqui vero multētur pœna duorū florenorum pro qualibet vice facultati aplicandorum.

¶ *De licentĳs Theologorum.* XLVII.

PEractis, & expletis curſibus, actibus, & ſermonibus ſupradictis poſt bacchalariatum omnes qui ſunt de eodem curſu præſententur facultati circa medium menſis nouembris, & antiquior ex eis faciat orationem tendentem ad petitionem abſolutionis ſuæ A labore illo tam diuturno in exercitĳs ſcholæ theologicæ.Quibus bacchalarĳs pro tunc expeditis à conſilio doctorū facultas diligenter examinabit, primo, ſi eorū quilibet veraciter compleuerit omnes prædictos curſus, & actus ſuos, ſecundo ſi eſt

legitimus ex vero matrimonio procreatus, tertio ſi eſt in ſacris ordinibus conſtitutus, quarto, ſi ſit infamis, inhoneſtus aut ſcandaloſus: quoniam talis non eſſet ad licentiam, quam petit admittendus. Vbi vero nullũ tale impedimentũ appareret in aliquo eorum, cõſtituat eis omnibus ſimul facultas diẽ licentiarum apud eccleſiam ſanctorũ Iuſti, & Paſtoris, vel alibi (vt ſupra dictum eſt) in licentijs artium: Vbi cõgregatis theologis doctoribus, cũ Rectore, & cancellario in conclaui per cedulas ſecretas fiat rotulus continens licentiandorũ ordinẽ, modo ſupradicto in licentŷs artiũ, & immediate citatis omnibus licẽtiandis corã Rectore, & cancellario per vedellum legentẽ rotulũ paulatim, & alta voce, fiãnt cætera omnia ſicut in licentŷs artiſtarũ prius dictum eſt. iſti actus eſt ſolenniſſimus, & more Pariſienſi nõ debet fieri niſi ſemel in duobus annis. Qui autẽ alio tẽpore licentiari vellet nõ admittatur in hac vniuerſitate, quæ ad imaginẽ ſcholæ Pariſiñ. inſtituta eſt. Expenſæ cuiuſlibet talis licẽtiati theologi in iſto actu ſunt hæ. Dabit archæ collegŷ duos florenos, facultati theologiæ quatuor florenos, cuilibet doctori theologo dimidiũ florenum, cancellario etiã dimidiuim florenum, Notario vnum florenum, vedellis vnum florenum.

¶ *De Doctoratu Theologico.* XLVIII.

POſt dictas Licentias infra quindecim dies primus licentiatus teneatur recipere gradum doctoratus theologiæ, & ſic conſequenter alij licentiati per quindenos dies ſeſe cõſequentes in ſuis magiſterijs, niſi eorum aliquis dimitteret diẽ ſuum, quia tunc ſucceſſor eius poſſet illum diẽ ſibi vẽdicare, vt etiã circa magiſtros artium notatum eſt ſupra, ſed quilibet magiſtrandus per duos, aut tres dies ante debet facere ſuas veſperias: ſub præſidẽte in quo actu prouideat ipſe de vno ſtudente in theologia, qui reſpondebit de quæſtione ſpectatoria magiſtrorum, & aliorum dominorum concurrentium ad illum actum. Deinde vnus de magiſtris, aut bacchalarijs vniuerſitatis exponat terminos ſui tituli eleganti ſermone. Quo finito ipſe veſperiandus reſpondeat per codicem de materia graui, & magnifica. tandem aliquis de vniuerſitate præfata faciet vexamen iocoſum. Quo finito immediate præſidens de cathedra faciat commendationem ſerioſam de virtutibus, & donis ipſius Licentiati. expenſæ huius actus erunt tres floreni, & quatuor regalia, ſcilicet, pro præſidenti duo floreni, & alius florenus pro expoſitore terminorum, dabitque vedellis quatuor argenteos. in die ſui magiſterij, vel doctoratus debent fieri ceremoniæ aliquantulum grauiores, quàm in magiſterio Artium, & cuiſcunque alterius facultatis: Sed ordo in omnibus eſt ſimilis hic, & ibi. Et dabuntur birreti,

& chi-

& chiroticæ Rectori,& cancellario, & Decanis,ac omnibus regentibus omnium facultatum de corpore huius vniuerſitatis,dabuntur etiam alijs magiſtris chiroticæ:ſed pecuniales expenſæ erunt quatuor floreni pro facultate theologorum,& pro refectorio collegij quatuor floreni, dabit etiam tres florenos pro notario,& vedellis duos florenos, cum ſuis chirotecis cuilibet eorum,& cuilibet doctori theologo deferẽti inſignia ſuæ facultatis duos florenos cum ſuis chirotecis,& cancellario facem ceream. pecuniæ huius facultatis commendentur alicui doctori expẽdendæ per diſtributiones theologorũ in ſolennioribus feſtis huius collegij in miſſis,& veſperis ſelennibus capellę,& proceſſionibus:quas diſtributiones recipent ſoli doctores.Poſtq̃ nouus magiſter aceperit gradum magiſterij, & inſignia gradus eiuſdẽ à cancellario,finiet actum in gratiam actionibus, prout ſuperius diſpoſitum eſt in magiſterio artium.

¶*De cathedris Medicinæ, & earum ſalario.* XLXI.

QVia propter varias infirmitates, quas quotidie mortales incurrunt medicinæ artis ſcientia multum conducibilis, & neceſſaria reipublicæ experientia teſte cognoſcitur. Ideo ſtatuimus,ꝙ in præfato noſtro collegio ſint duæ cathedræ in medicina,quas habeãt duo medici multę eruditionis, & maturæ experientiæ, ad quas cum vacauerint ſe poſſint opponere graduati eiuſdem facultatis.Et qui inter eos habiliores,& magis idonei reperti fuerint habeant ſinguli duo ſingulas cathedras, electio aũt iſtorum fiet, eo modo quo debet fieri electio alicuius in regentem, videlicet ꝙ fiat prouiſio per Rectorem,& conſiliarios ad vota ſcholarium eiuſdem facultatis,qui iurent ſe electuros ſufficientiorem,& magis idoneum, & ꝙ ſunt audituri per totũm annum integrum, & ſeruatis cæteris prout in electione regentium expoſitum eſt,teneatur etiam quilibet iſtorũ cathedraricorum legere duas lectiones quolibet die lectiuo,vnam ante meridiem, & alteram poſt meridiem.Ita tamen quòd vnus eorum legat prædictas duas lectiones de curſu, ſiue canone Auicenæ.quem curſum teneatur adimplere ſiue finiri in duobus annis: Alter vero cathedraticus, teneatur ſimiliter legere vtranque lectionem de curſu artis Hypocratis, & Galeni. Quem etiam curſum teneatur in eiſdem duobus annis eodem modo perficere. Quibus duobus curſibus finitis prædicti cathedratici permutabunt lecturas. Ita quòd ille, qui peregit curſum Auicenæ,incipiat curſum artis, & continuet per duos annos, alter vero econuerſo. Durabitque cuiuſlibet iſtorum cathedra per quatuor annos integros. Quibus finitis iterum vacabit.ad cuius oppoſitionem poſſit denuo quilibet eorundem admitti, & in cathedraticũ rurſus

ſus eligi. Et nihilominus teneatur viſitare, & curare omnes, & ſingulos infirmos, qui intra domum ipſius Collegij pro tempore ægrotauerint, necnō infirmos hoſpitalis, & omnium collegiorum pauperum, quæ nunc ſunt, & pro tempore eligētur, & etiam infirmas monaſterij ſancti Ioannis dela penitentia, & domorum ſanctæ Eliſabeth delas donzellas, & hoſpitalis contigui in perpetuum. habeat autem quilibet iſtorum centum florenos auri de Aragonia pro ſalario, ſed ſi aliquando contigerit, quòd præfati regentes, vel aliquis eorum ſit adeo vtilis, & tantæ eruditionis, quòd Rectorr, & conſiliarijs viſum fuerit iuxta conſcientiam ſuam ſalarium eſſe augendum, poſſint illud augere, dummodo vltra alios centum florenos non poſſint excedere, & ita tamen præfati regentes, & quilibet eorum obliget ſe, & ſua, ꝙ etiam finito termino ſuæ regentię toto tempore q̄diu clauſtro collegij placuerit, permanebit in regētia, nec eā quouis modo, vel cauſa deſeret, ad quod teneantur ſe aſtringere iuramento.

¶ *De curſibus Bacchalariorum, & Licentiandorum in Medicina.* L.

NEmo admittarur ad curſandum in medicina niſi poſtq̄ fuerit ad minus in Artibus bacchalarius, & cum hoc etiam totum curſum artium compleuerit, alias non computentur ei curſus in medicina, ſed in quarto anno poſſit curſare in artibus ſimul & medicina. Admittendus autem ad gradū bacchalariatus in medicina audiat per duos annos lectiones cathedrales doctorum, ſi fuerit magiſter, vel licentiatus in artibus, ſi autem fuerit tantū modo bacchalarius in artibus compleat tres annos, audiendo prædictas lectiones, quibus curſibus peractis, & probatis corā facultate detur ei doctor præſidens pro tentatiua, in qua proponat quæſtionem determinatam per tres concluſiones cū duobus correlarijs ad quālibet earū: contra quem primo arguet præſidens aperiēdo, & dilatādo materiā, deinde doctores eiuſdē facultatis, & bacchalarij ſinguli duobus medijs. Doctores ad libitū: ſed bacchalarij in quolibet medio, habeant autoritatem, & rationē, & ſint iſtæ concluſiones magis theoricæ quàm practicæ, & ſi in hac diſputatione inueniatur ſufficiens, petat gradum eleganti oratione, & præſidens ſimiliter concedat ei gradum, & tunc bacchalarius nouus aſcendat cathedram, & inchoata breuiter lectione, agat gratias, quibus opus eſt. Sumptus ordinarij in bacchalariatu ſint, quòd det bacchalariandus pro arca Collegij duos florenos, pro facultate alios duos florenos, pro præſidente vnum florenum cum chirotecis, alijs doctoribus in medicina arguentibus, cuilibet quatuor argenteos cum chirotecis, vedellis vnum florenum, & notario vnum florenum

florenum

florenum. Volumus tamen, ꝙ poſt ſuſceptum gradum bacchalariatus non dicatur bacchalarius formatus, nec habeat facultatem prædicandi, quouſq; per ſex menſes ad minus frequẽtauerit practicã cum quodam doctore, aut licentiato eiuſdẽ facultatis, nec prius dentur ſibi literæ bacchalariatus. Poſt bacchalariatum, promouendus ad gradum licentiæ in medicina continuet actus eiuſdẽ facultatis arguẽdo in ſingulis diſputationibus publicis per tres annos continuos, ſub pęna duorũ argenteorum pro qualibet vice, & in quolibet triũ annorũ præfatorum faciat vnũ curſum lecturæ medicinalis durantis ſaltem per dimidiũ anni. Sic ꝙ in primo curſu legat publice, & vtiliter de canone Auicenæ, in ſecũdo de aliquo libro Hypocratis, in tertio de aliquo libro Galeni, & in quolibet iſtorũ annorũ faciat vnum actum rigoroſum: de materia libri quem legit, declinando magis ad practicã, cũ concluſionibus, & argumẽtis ſub præſidente (vt dictũ eſt) de tentatiua. Pro quibus actibus, quilibet det præſidenti vnum florenũ, & vedellis quatuor argenteos, nõ occupent bacchalarij curſantes horas, nec materias lectionũ cathedrarum, ſed aſſignabũtur eis horæ lectionũ per facultatẽ, diuidantur præſidentiæ ipſius tantummodo doctoribus vniuerſitatis.

¶ *De examine Licentiandorum, & gradu Licentiæ, & doctoratu in medicina.* LI.

HIs curſibus finitis, circa finem tertij anni præſentabuntur licentiandi facultati, quæ aſsignabit cuilibet eorum diem examinis, & puncta lectionum de Auicena, & de arte, ex quarũ ſuccincta expoſitione, eliciat cõcluſiones cum correlarijs in quibus ſit magna copia, tã de theorica, quàm de practica medicinæ, & arguent tam doctores, quàm bacchalarij, duplici medio, vt in alijs, & fiet hoc examen publice, & ſine præſidente, ad modum alphõſinæ theologorum. Volumus tamen, quòd in hoc examine arguãt etiã duo magiſtri facultatis artium, quorum vnus ſit decanus facultatis, & alius antiquior magiſter, poſt eum, qui ſit vel fuerit regens in artibus. Qui etiam teputentur de hac facultate, quo ad omnia, hoc excepto quòd non præcipiãt aliquod emolumentum nec arguant, niſi in prædicto examine licentiæ. Dabit cuilibet doctorum arguentium, & magiſtrorum artium, qui ſunt de hac facultate quatuor argenteos. Peractis aut omnibus examinibus Licentiandorum (vt præfertur) omnes licenciandi examinati præſentabuntur facultati circa finem menſis Nouembris, & petent abſolutionem à laboribus ſcholæ medicinæ, ſicut de theologis, dictum eſt, quibus à cõſilio doctor expeditis, facultas diligenter examinabit, ſi eorũ quilibet veraciter compleuerit omnes prædictos curſus, & actus ſuos, deinde ſi ſit infamis, turpis,

pis,ſcandaloſus: Quoniam talis non eſſet ad licentiam admittendus. Vbi vero nullum tale impedimentum in aliquo eorum probaretur, conſtituat eis omnibus ſimul facultas diē licentiarū apud eccleſiā ſancti Iuſti,& Paſtoris,vel alibi,vt ſupra dictū eſt de licētijs artiū. vbi cōgregatis doctoribus medicis,& magiſtris in artibus,qui fuerunt de hac facultate,cū Rectore,& cancellario in conclaui,fiat per cedulas ſecretas rotulus, & legatur publice, & fiant omnia,ſicut in licentijs artiū,& theologiæ diſpoſitū eſt.Iſte actus non debet fieri niſi ſemel in duobus annis,& anno impari, vt intercalariter fiāt altero anno licentiæ theologorum,& altero medicorum.Qui autē alio tempore anni licentiari voluerit nō admittatur in hac vniuerſitate pro iſto gradu. Pridie ante licentias dabit quilibet licentiandorum pro archa collegij duos florenos, cuilibet doctori medico, & duobus magiſtris in artibus qui tunc fuerint de illa facultate, duos florenos, pro facultate, quatuor florenos,Cancellario vnum florenum, & facem ceream,vedellis duos florenos, & notario duos florenos. Præterea, in doctoratu medicinæ ſolennitas, & expenſæ fiant ſicut fuit ſupra diſpoſitum in doctoratu theologico,& pecuniæ huius facultatis commendentur vni doctori, pro diſtributionibus, quæ dari ſolent in diebus ſolennibus, ſicut in facultate theologiæ dictum eſt.

¶*De cathedris iuris Canonici, & eorum ſalario.* LII.

STatuimus etiam,vt in eodem noſtro collegio ſint duo profeſſores ſacrorum canonū q̄ maxime docti, & inſtructi haberi potuerint, quorū vnus regat cathedrā primæ, alius cathedram veſperorum iuris Canonici huius noſtræ vniuerſitatis. & prohibemus,ne vnquàm in noſtro Collegio poſſit inſtitui cathedra iuris Ciuilis, nec aliquo modo præfatum ius Ciuile legatur in eodem Collegio, quia cum duæ ſint celebres vniuerſitates in hoc regno Caſtellæ, in quarum vtraque iuris Canonici,& Ciuilis ſcientia ſemper floruit, ideo non eſt noſtræ mentis de huiuſmodi facultatibus prouidere, niſi ad primeuam inſtructionem ſcholarium, qui ſecundum ſinodales noſtras Conſtitutiones, non niſi præhabitis ſaltem mediocribus fundamentis iuris Canonici, ad ſacros ordines ſint promouendi. in prouiſione autem cuiuſlibet ex dictis cathedris procedant hoc ordine, videlicet, quòd ſequenti die, poſtquàm aliqua illarum vacauerit, Rector, & Conſiliarij Collegij teneantur per vedellos denuntiare prædictam vacationem in ſcholis, & ſi viſum fuerit expedire, teneantur etiam infra triduum idem Rector, & Conſiliarij mittere cedulas ad alias vniuerſitates ipſorū nomine ſubſcriptas,vt ipſius cathedræ vacatio omnibus innoteſcat ad

ad hoc vt volentes ſe opponere infra triginta dies à tempore denuntiationis in collegio factæ computandos, teneantur coram rectore ad ſe opponendum perſonaliter ſe præſentare, quibus diebus elapſis ſinguli oppoſitores teneantur legere ad minus duas lectiones in præſentia ſcholarium eiuſdem facultatis, & aliorum volentium ibidem intereſſe, quas Rector & conſiliarij per diem integrum ante lectionem faciendam ſingulis oppoſitoribus aſſignauerint, & dictis lectionibus perlectis, Rector, & cõſiliarij tam collegij, quàm vniuerſitatis recipiant vota omnium, & ſingulorum ſcholariũ eiuſdem facultatis, qui per ſex mẽſes ad minus iuri canonico operam dederint, recepto prius ab eiſdem iuramento quòd eligent ſufficientiorem, & magis idoneum ad dictam cathedram, & à quo maiorem fructum ſe ſperant conſequturos, & quòd ab eo, cui de dicta cathedra fuerit prouiſum intendũt ſe audituros ad minus per integrum annũ, & ſeruata forma in receptione votorum, & in admonitione facienda ſcholaribus, qui ſunt audituri, ac in alijs in conſtitutione de numero, & electione regentium diſpoſitis: ille habeatur pro electo ad dictam cathedram, cui plura vota ſuffragentur: quòd ſi à pari numero fuerint electi ſorte inter eos dirimatur, prout in dicta conſtitutione de electione regentium etiam diſpoſitum eſt. Et ſi forſam præfatus electus nõdum gradum doctoratus fuerit aſſequutus, volumus, quòd infra ſex menſes à tempore prouiſionis præfatæ cathedræ teneatur ad gradum doctoratus promoueri, niſi rectori, & conſiliarijs Collegij, & vniuerſitatis viſum fuerit prætaxatum tempus fore prorogandum. Electus vero ad cathedram primæ ſingulis diebus lectiuis teneatur legere duas lectiones ordinarias per duas integras horas, vnam mane, & alteram veſperi, hoc modo, videlicet quòd à feſto ſancti Lucæ vſque ad reſurrectionem legat mane, ab hora octaua vſque ad nonam, veſperi vero, ab hora ſecunda, vſque ad tertiam, & à reſurrectione vſque ad reſiduum anni, mane ab hora ſeptima vſque ad octauam, veſperi vero, ab hora tertia vſque ad quartam. Cathedraticus autem veſperorum teneatur ſimiliter legere alias duas lectiones ordinarias per duas integras horas, vnam veſperi, & alteram mane, ſcilicet, à feſto ſancti Lucæ vſque ad reſurrectionem, veſperi ab hora tertia vſque ad quartam, mane vero, ab hora nona vſque ad decimam. Et à feſto reſurrectionis veſperi, ab hora quarta vſque ad quintam, mane vero ab hora octaua vſque ad nonam. Teneaturque legere quilibet eorum de libris, ſibi per Rectorem, & Conſiliarios, præhabita ſcholarium informatione aſſignandis. Ita tamen quòd duę lectiones illarum principaliores legantur ſemper de volumine decretaliũ, poterit etiã vterq; illorum cum Rectore, & conſiliarijs, de conſenſu, & voto audientiũ ſi fuerit viſum, legere vnam ex lectionibus minus principalem per ſubſtitutum

tutum

tutus ſuis ſtipendijs ponendum. Habeatque pro ſalario, & pro aduocatione, ac patrocinio præſtando in omnibus litibus, & cauſis ipſius Collegij cathedraticus primæ octoginta florenos. Cathedraticus vero veſperorũ ſexaginta florenos ſingulis annis, & dentur inſuper alicui alteri aduocato de magis expertis & eruditis, qui reperiri poſsint, alij viginti floreni quolibet anno pro præſtando patrocinio etiam eidem Collegio in omnibus ſuis litibus, negocijs, & cauſis durabitque tempus cuiuſlibet ex dictis cathedris per ſex annos integros poſt eius prouiſionem immediate ſequentes. Finitiſque præfatis ſex annis, iterum vacabit cathedra, & cathedraticus poterit ſe opponere, & in cathedraticum rurſus eligi, ſi vota eligentium ſibi ſuffragentur.

¶ *De gradu Bacchalariatus in iure Canonico.* LIII.

INſtituimus, & ordinamus, quòd nullus ſtudens in iure canonico ad gradum bacchalariatus in hoc noſtro Collegio, & vniuerſitate aſſumatur niſi circa ſcientiam iuris canonici per ſex annos, vel per maiorem partem anni cuiuſlibet annorum prædictorum huiuſmodi ius canonicum audierit, & in gymnaſio publico ipſius collegij ad hoc deputato, diebus duodecim, publice totidem lectiones legerit, & ſi forte aliquis ſtudens curſum in aliquo anno horum prædictorum non compleuerit, poſſit in alio ſequenti, vel ſequentibus, mediate, vel immediate annis ſupplere. Quæ in futuris, & etiam præteritis curſibus tam ſtudentium ad gradum bacchalariatus, q̃ bacchalariorum ad examen priuatum volumus extendi. Qui vero contra huiuſmodi conſtitutionis tenorem, ad prædictum gradũ aſcẽdere præſumpſerit, prædicti gradus careat cõmodo, & honore, & pro bacchalario nullatenus habeatur. Rector autẽ, qui talẽ ſtudẽtẽ ad huiuſmodi gradũ bacchalariatus admitti ſciẽter fecerit, præter periurij reatũ decẽ florenorũ pęnam, archæ collegij applicandorũ, irremiſsibiliter incurrat ipſo facto. Volumus autẽ, ꝙ ad huiuſmodi gradus bacchalariatus, vel alios in iure canonico recipiẽdos, admittãtur curſus, quos quicũq; ſcholaris, pro tẽpore graduãdus in alia vniuerſitate rite fecerit, & probauerit, prout ſuperius in alia noſtra conſtitutione diſpoſitũ eſt. Ita tamẽ ꝙ ſi poſtq̃ alibi peregerit omnes curſus, ſeu maiorẽ partẽ ipſorũ, voluerit in hac noſtra vniuerſitate graduari, teneat᷑ ad minus per duos annos cõtinuos, anteq̃ ſibi gradus cõferatur, in eadẽ reſidere, vt ſic euitẽtur fraudes, quæ in ſimilibus fieri ſolent. Et licet cuicunq; taliter graduando, pro libito ſuæ voluntatis eligere vnum doctorem eiuſdem facultatis de eodẽm collegio, & vniuerſitate prædicta, vt dictum gradum ſibi conferat. Idemque ſtudens Rectori fidem faciat, ꝙ in audiẽdo, & legendo ſu-

do ſupradicta ſeruabit ſtatuta, de qua quidem obſeruatione, Rector docto ri prędicto fidem faciat per Vedellum, quo peracto idē doctor diē lectiuū; præfato graduādo ad receptionē dicti gradus aſſignet; & Vedellus; aduenie te pręfato die aſſignato, denūtiet publice per collegiū, & gymnaſia omnia; ꝙ talis ſtudens debet prædictū gradum aſſumere, & deinde bacchalariandus à doctore in cathedra exiſtente elegāti, & ornata oratione gradum po ſtulet, quē doctor ſine orationis ſolēnitate eidem concedens deſcendat de cathedra, & bacchalarius prædictus cathedrā aſcēdat eandem, & præſidio altiſſimi implorato, lectionē breuiſſimā eiuſdem facultatis legēdo perorer; & amicis, ac cæteris circūſtātibus gratias agat; actūq; ſuū cōpleat. In cuius gradus receptione, bacchalarius, qui gradum huiuſmodi recipere debet te neatur ſoluere duos florenos ꝓ archa collegij, & doctori, à quo recepit gra dū, propinā vnius floreni, & notario duos florenos, pro inſtrumento, & Ve dellis alios duos.

¶ *De gradu Licentiæ in iure Canonico.* LIIII.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ bacchalarius in iure canonico anteq̄ ad examen priuatū pro licentia ad gradū doctoratus obtinenda admittatur; legat publicę per quinq; annos, vel maiorē partem cuiuſlibet ipſorum in hac, vel in alijs vniuerſitatibus de quo fidē facere teneatur (prout ſuperius diſpoſitum eſt in alia noſtra cōſtitutione.) Et inſuper faciat vnū actū publicum, repetendo, aut diſputando, & arguentibus reſpondendo, etiā ſi in ali qua alia vniuerſitate dictam repetitionē vel diſputationē feciſſet. Quibus peractis Rector ante omnia de tempore lecturę ipſius licētiādi, & de omni bus ſupradictis, fidē faciat cācellario, & eū ipſi per ſe, vel per ſuas literas prę ſentet, & cōſequenter præfatus cancellarius, recepto prius ab eodē licentiā do iuramento de veritate dicenda, ſecreto interroget, vtrum aliquid dederit, vel promiſſerit ratione, vel cauſa, ſuæ licētiæ obtinēdæ, vltra id quod inferius eſt expreſſum, & ſi per eius iuramentum, vel alias quocunq; modo ſibi conſtiterit aliquid dediſſe, vel promiſiſſe, ratione vel cauſa ſuæ licētiæ obtinendæ, cancellarius ipſum expellat penitus, vt indignus ab examine præfato, & per duos annos ab ingreſſu examinis, & licentiæ obtinendæ ſit ſuſpenſus, nec quouſq; Rectori tantum quantum confeſſus, vel conuictus fuerit ſe promiſiſſe, vel dediſſe pro dicto examine, in archæ collegij vſibus conuertendum ſoluerit, ad dictum examen aliquatenus admittatur, recipientes autē duplum eius, quod receperint infra menſem reſtituā, alias ipſos ſententiā excomunicationis incurrere volumus ipſo facto, à qua nequeāt abſolui niſi triplū eius quod receperint, dicto Rectori reſtituāt ſimiliter archę collegij applicandū, & cācellariū, qui talē ante lapſum duorū an-

 norum;

norũ,vel poſt dicta pecunia nõ ſoluta ad exame receperit,excõmunicationis ſentẽtiã,etiã incurrere volumus ipſo facto. Quòd ſi nihil dediſſe,vel ꝓmiſiſſe repererit tunc iniungat ei ſub debito præſtiti iuramẽti, & excõmunicationis pœnã,quã ſi cõtrarium fecerit,eũ incurrere volumus ipſofacto, ꝙ nihil deinceps promittet,aut dabit cauſa licẽtiæ obtinendæ. Quo facto, idem Cãcellarius aſſignet eidẽ bacchalario locum pariter,atq; diẽ, quibus coram eo & tribus doctoribus eiuſdem facultatis,de vita & moribus fidem faciat,ꝙ ſi legitimus aut alias legitimatus,Et ſi ſuper his omnibus idoneus ſit repertus,dies & locus ad recipiendũ puncta ſibi aſſignentur ſuper quibus debet ſubire examẽ. Qua adueniente die,miſſa Spiritus ſancti corã bacchalario & doctoribus pręfatis,& alijs intereſſe volentibus in capella collegij celebrata,idẽ Cancellarius in medio doctorũ ſedẽs,in loco per ipſum in dicta capella deputato,per manus Vedelli iuris canonici libros tenentis. ſ. decretum & decretales vnũ vni,& alterũ alteri,ex doctoribus aſsiſtentibus dari faciat. Quorũ doctorum quilibet ter tantum ſi voluerit librũ apetiat, ac in altera apertionis vice,bacchalarius titulũ ſiue materiam eligat. Et ſtatim Cancellarius bacchalario præfato capitulum pro examine ſubeũdo in vnoquoq; librorum aſſignet,ſequenti die vero poſt meridiem , hora dicto bacchalario(vt præfertur)aſſignata,ante veſperas veniat bacchalarius ipſe, paratus ſubire examen ad dictam capellam,vel ad locum alium, ad hoc aptũ per Rectorem collegij ex cauſa deputandũ vbi Rector & doctores prędicti eiuſdẽ facultatis,cũ Cancellario cõueniant,& tunc examinandus bacchalarius ſi ſibi placuerit(vt moris eſt) aliquã orationẽ ſub cõpẽdio faciat, & proteſtationẽ in ſimilibus actibus fieri cõſuetam, & ſuã lecturã incipiat vltra duas horas minime duraturã,vt ordine & modo cõſuetis procedatur poſtea ad examẽ. Quibus omnib⁹,&ſingulis executioni mãdatis,pręuio diligẽti & rigurоſo examine,vt diſpoſitũ eſt,bacchalarius examinatus ad domũ redeat,demũ Cãcellari⁹ recepto prius à quolibet triũ doctorũ prædictorũ iuramẽto,ꝙ ſecũdũ Deũ & ſuã cõſcietiã ſuper approbatione,& reprobatione examinati bacchalarij veritatẽ deponent,ſcrutiniũ faciat,& præfatorum doctorũ vota in birreto,vel ſub caputio,vel per cedulas recipiat clauſas:In quibus ponat literam. A. ſi intendebant bacchalarium approbare, ſi autem reprobare intendant,ponant literã. R. & mox, Rectorę & Cancellario prædictis,& doctoribus præfatis præſentibus,cedulæ prædictæ apetiãtur,& corã notario publicẽtur. Quibus omnibus peractis,die ſequẽti bacchalarius examinatus de mane ad domũ Cãcellarij pro reſpõſione habẽda accedat. Cui Cãcellarius præſentibus dictis doctoribus,licentiã vel denegет,vel cõcedat,prout iuxta præfatorũ doctorũ vota fuerit faciẽdũ,ſed pręcedẽti die,anteꝙ bacchalarius examinãdus ingrediatur examẽ, ſoluat pro

archa

archa collegij,quatuor florenos,Rectori vero,& Cancellario conferẽti gradum,& tribus doctoribus pro examine deputatis,cuilibet eorum duos florenos,& facem cereã,quæ ſit ponderis quinq; librarũ ad minus. Notario vero tres florenos,& Vedellis ſingulos florenos,dabitq; inſuper poſt finitũ examẽ Rectori,& Cancellario,& doctoribus,& Vedellis,& notario pręfatis nocte ipſa examinis vnam,cenã in qua nõ expendat vltra octo florenos.

¶*De gradu Doctoratus in iure canonico.* LV.

ITem ſtatuimus,ꝙ licentiati volentes ad gradum doctoratus in iure canonico peruenire.Ex quo iam rigoroſo pręcedente examine fuerunt approbati,& non expedit alium actum rigoroſum facere:ad decorem tamen tãti gradus,in die quo fuerint doctorandi,ventilent, diſcutiãt publice ad vtranq parte aliquã ſubtilem quæſtionẽ, quæ ſibi placuerit, & eã decidant prout ſibi de iure canonico videbitur,& deciſſa præfata quæſtione, vt prætertur, ſtatim per aliquẽ de graduatis eiuſdẽ vniuerſitatis fiat vexamẽ iocoſum,& finaliter cõmendatio ſerioſa de virtutibus ipſius doctorandi, prout in ſimilibus actibus fieri conſueuit,deinde eleganti oratione à præfato cãcellario doctorandus gradum poſtulet,quem ſibi cancellarius in pręſentia Rectoris & doctorũ omniũ circunſtãtiũ ſolẽniter cõferat.Dabit autẽ præfatus doctorãdus pridie anteq̃ prædictus gradus ſibi cõferatur,ꝓ archa collegij ſex florenos,pro facultate duos florenos,Cãcellario,&Rectori vnicuiq; duos florenos, & cuilibet de doctoribus eiuſdẽ facultatis intereſsẽtibus,& deferẽtibus inſignia ſingulos florenos cum ſuis birretis,& chirotecis,cęteris autem doctoribus,& magiſtris decorantibus actum,& deferentibus inſignia,dabit vnicuiq; ipſorum birretum,& chirotecas,alijs autem graduatis in eadem facultate dabit chirotecas tãtum. Notario vero dabit quatuor florenos,& Vedellis vnicuiq; duos florenos cum ſuis chirotecis.Dabitquè inſuper Rectori,& Cancellario,& omnibus graduatis, & officialibus vnũ prãdium vltra quatuor florenos,quos etiam dabit pro refectorio collegij.

¶*De his qui volunt gradum alibi ſuſceptum iterum ſibi conferri,& de admittendis curſibus alibi factis.* LVI.

STatuimus inſuper,& ordinamus, ꝙ ſi aliquando aliquis qui gradum bacchalaureatus,licentiæ aut magiſterij in theologia,ſiue in medicina, aut in artibꝰ alibi, quàm in hac noſtra vniuerſitate ſuſceperit, aut alibi qui omnes,vel aliquos curſus fecerit propter exercitiũ,ſiue cõferentiã literarũ,

F 2 vel

vel oſtenſionem ſuæ ſufficentię,ſiue alias voluerit in hac noſtra vniuerſitate graduari,conſtito prius legitime coram Rectore,& decano ipſius facultatis de curſibus alibi factis,&poſtquà fuerit matriculatus recipiatur ei curſus,quos legitime conſtiterit alibi peregiſſe.Quòd ſi omnes iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionũ alibi peregiſſe probauerit,teneatur facere omnes actus ad talem gradum requiſitos,& iura ſoluere,ſi vero aliqui curſus ei defuerint,teneatur eos in noſtra vniuerſitate ſupplere,& omnes actus facere ac iura ſoluere,vt præmittitur.Nemo tamen poſſit in hac noſtra vniuerſitate recipere gradum magiſtri aut doctoratus, niſi prius in eadem receperit ſaltem gradum licentiæ,& omnes actus ad dictam licentiam poſt bacchalariatum requiſitos in eadem vniuerſitate fecerit,etiam ſi gradum magiſterij,aut doctotatus alibi ſuſceperit.Qui vero huiuſmodi gradũ alibi nõ ſuſcepit,tenebitur ad omnes actus,tam bacchalariatus,q̃ licentiæ integrè faciendos,& prohibemus,ꝙ nulli poſſit conferri gradus licentiæ in theologia,aut in artibus niſi tẽpore licentiarum per ordine rotuli,nec gradus bacchalariatus in artibus,niſi tempore quo alijs de vniuerſitate ſolet conferri. Volumus autem,ꝙ in gradu alibi ſuſcepto,nullus poſſit in hac noſtra vniuerſitate incorporari,ſi tamen alibi graduatus venerit ad ſe opponendum ad quãcunq; regentiam,vel cathedram,etiam iuris canonici in hac noſtra vniuerſitate vacantem,ſine aliqua difficultate admittatur ad oppoſitionẽ, conſtito prius de gradu ad talem regẽtiam,vel cathedram requiſito, prout ſuperius ſtatutum eſt,& ſi cõtigerit eundem eligi ad regentiam, vel cathedram ſeruata forma in his noſtris conſtitutionibus contenta eo ipſo abſq; aliquo actu, vel examine habeatur pro incorporato in gradu , quem ſua regentia,vel cathedra requirit à die ſuæ prouiſionis pro eo tempore tantummodò quo durauerit eius regentia, vel cathedra,ſine ſolutione iuriũ, vel expenſarum eiuſdem gradus Et durante regentia, vel cathedra,gaudeat omnibus priuilegi s, quibus gaudent omnes regentes in eadem vniuerſitate graduati, pręterquàm quòd nominari,aut præſentari ad dignitates canonicatus,& prębẽdas,aut portiones,vel alia quæuis beneficia,ratione dictæ incorporationis,nullatenus poſſint.Cum pręfata beneficia ſecundum tenorem indulti apoſtolici his tantummodo debeantur, qui in hac noſtra vniuerſitate, & ſecundum eius ſtatuta fuerint graduati. Sed ſi præfatus electus ad talem regentiam voluerit gradum alibi ſuſceptum, & ad ſuam regentiam requiſitum iterum de nouo in hac vniuerſitate ſibi conferri: Tunc poſtquàm medietatem temporis ſuæ regentiæ legendo compleuerit, ſtatim abſq; eo quod teneatur ſubire aliquod examen, vel aliquem actum facere ſolutis iuribus eiuſdem gradus,ſine difficultate aliqua gradus illius regentiæ tantummodo ei conferatur. Et hoc durante

tempore

tẽpore ſuæ regentiæ dũtaxat, ad quam ſemel fuit approbatus, alias ſi durã te præfato tempore ſuæ regentiæ huiuſmodi gradum recipere neglexerit, & illum voluerit exacto, elapſoq; dicto tempore de nouo recipere: teneatur ſubire examen, & facere cætera omnia requiſita, quæ in hac noſtra cõſtitutione continẽtur, prout ſuperius diſpoſitum eſt. Si autem pręfati doctores ſeu magiſtri licentiati, aut bacchalarij voluerint tãtummodo reſidere in hac vniuerſitate poſtquàm fuerint matriculati præſtito prius per eũdem iuramento, iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionum, gaudeant omnibus, & ſingulis priuilegijs huius vniuerſitatis, & admittantur ad ſeſſionem immediate poſt alios graduatos eiuſdem gradus in omnibus actibus vniuerſitatis ad arguendum, & reſpondendum dumtaxat: & quia in his regnis ſunt duæ celebres vniuerſitates, in quibus iuris canonici, & ciuilis ſcientia ſemper floruit, ideo ad euitandas fraudes quæ fieri poſſunt prohibemus, ne aliquis graduatus in iure canonico in præfatis vniuerſitatibus, vel alibi poſſit in aliquo gradu iuris canonici, ſiue in gradu doctoratus, licentiaturæ, vel bacchalariatus in hac noſtra vniuerſitate quouiſmodo incorporari, ſiue gradum alibi ſuſceptum, iterum recipere, cum prout ſuperius dictum eſt tantummodo ad primeuam inſtitutionem clericorum pauperum huiuſmodi iuris pontificij cathedras erigi voluimus, niſi quando ſe oppoſuerit, & fuerit electus ad cathedram iuris canonici, nã tunc ſtatim habeatur pro incorporato à tempore ſuæ cathedræ dumtaxat, prout ſuperius dictum eſt, ſi tamen præfatus electus voluerit gradum licentiæ, vel doctoratus in iure canonico de nouo in hac noſtra vniuerſitate recipere, tunc poſtquàm medietatem temporis ſuæ cathedræ legendo compleuerit, ſtatim abſq; vllo examine, vel actu ſolutis iuribus eiuſdem gradus ſine dificultate admittatur ad talem gradum, vt ſuperius diſpoſitum eſt.

¶*De lectoribus in Rethorica, & eorum ſalario.* LVII.

STatuimus, & ordinamus, quòd in noſtro collegio, & vniuerſitate ſit vnus cathedraticus Rethoricę facultatis, qui ſit magnę eruditionis, & teneatur legere duas lectiones quolibet die per totum annum, hoc modo videlicet, quòd per tres, vel quatuor menſes immediate ante diẽ ſancti Lucæ legat duas lectiones artis rethoricæ, quas legere teneatur intra collegiũ in cathedra per Rectorem aſſignanda, & per alios octo, vel nouem menſes, incipiendo à præfato die ſancti Lucæ legat de poeſia, & oratoria, de libris, & autoribus, ſecundum quod Rectori, & clauſtro viſum fuerit, præfatas duas lectiones, quas teneatur legere in gymnaſio, quod eſt prope bea-

tum Franciſcum, vel intra collegium ad arbitrium Rectoris,& Conſiliariorum, habeatquè prædictam cathedram durante vita ipſius, niſi ex aliqua cauſa de contentis in his noſtris conſtitutionibus, vel alias ex iuſtis cauſis venerit priuandus. tenatur etiam præfatus cathedraticus, facere principium ſeu exordium in die ſancti Lucæ ſingulis annis. In quo exordio habebit elegantem orationem de laudibus,& vtilitate ſcientiarum, prout fieri in alijs vniuerſitatibus ſolet. habebitq; pro ſalario quolibet anno ſexaginta florenos. ſint quoq; alij ſex regentes ordinarij grammaticę facultatis, quos in collegijs ſanctorum Eugenij,& Iſidori,& in alijs gymnaſis ad id deputatis, decreuimus habere ſuas regentias, quiquidem regentes,& alij quicunq; in dictis collegijs commorantes,& omnes alij, tam ſtudentes, q̃ lectores dictæ facultaris, teneantur ad omnia illa quæ in alijs noſtris conſtitutionibus particularibus, quas ad exercitium,& faciliorem acquiſitionē linguæ latinæ,& pro bono regimine,& honeſtate ſtudentium in eadem facultate edidimus, plenius continentur.

¶ *De licentia, erigendi aliquas Cathedras.* LVIII.

TAndem, vt omnia quæ ad literarum ſcientiam ſpectāt in noſtra vniuerſitate reperiantur, ſtatuimus,& ordinamus, quod ſit in eadem vniuerſitate alia cathedra Græci ſermonis, quam habeat vnus cathedraticus in eadem lingua ſufficienter inſtructus,& teneatur intra collegium legere duas lectiones in duabus horis, ſimul cū exercitio praticæ durante per aliam horā ſingulis diebus lectiuis: habeatq; pro ſuo ſalario ſingulis annis quinquaginta florenos,& prouideatur prædicta cathedra arbitrio Rectoris,& Cōſiliariorū,& ille habeatur pro electo cui plura vota ſuffragentur. Verū quia nonnunq̃ viri religioſi,& aliæ perſonæ zelo fidei,& Dei amore flagrantes, vt melius verbum Dei diſſeminare poſſint, deſiderare ſolent peritiā linguarū obtinere. Ideo ſtatuimus, ꝙ quotieſcunq; tales perſonas in hac nr̄a vniuerſitate reſidere contigerit, Rector,& Conſiliarij cū maiore parte clauſtri per eoſdē requiſiti iuxta eorū piū,& honeſtū deſiderium cathedras linguarū, quæ in cōcilio Vienenſij cōtinentur, vel cuiuſuis ipſarū ſecundū tēporis exigentiā, exigere atq; inſtituere poſſint,& cōpetens ipſarū lectoribus ſalarium aſſignare: ita ꝙ ſummā quinquaginta florenorū annuatim pro quali-bet cathedra nō excedat. deficiētibus tamē auditoribus (vt premiſſum eſt) qualificatis, ceſſent etiā ſalaria prædictarū cathedrarū,& cuiuſuis ipſarū,& quoniā lingua Græca fons eſt,& origo latinæ linguę,& aliarū ſciētiarū: ſufficiat in ea eſſe quęcunq; numerū auditorū, qui in eadē lingua veriſimiliter proficere poſſint. Quibus ceſſantibus, ceſſet etiam ſalarium cathedræ.

¶ De

ITem ſtatuimus, ꝙ quotieſcũq; vacauerit officium notarij collegij, & vniuerſitatis, Rector, & Conſiliarij collegij teneantur infra viginti dies eligere vnum notarium, cuius officium ſit ad nutum eorum à mobile. Qui ſit fidelis ad prædictum officium exercendum, & habilis in cõficiendis inſtrumentis ac actibus, tam vulgariter, quàm latine, hic autem teneatur intereſſe collationi graduum, & alijs actibus ſcholaſticis collegij, & vniuerſitatis, de quibus inſtrumenta cõficienda fuerint, pro quibus recipiat iura ſibi debita, prout in noſtris cõſtitutionibus ſuper collatione dictorum graduum diſponitur. Coram eo etiam expediantur omnes cauſę iudiciales ad forum Rectoris pertinentes, pro quibus ſimiliter dentur ſibi iura conſueta. Quod officium vt fidelius exerceatur, volumus, ꝙ præfatus electus in notariũ teneatur per ſe ipſum exercere prę fatum officium, niſi fuerit infirmitate, vel alio legitimo impedimento detentus, habeat tamẽ ſecum ſi opus fuerit aliquem officialem idoneum, vt facilius occurrentia negotia expediãtur. Sed ſi negligenter circa ſuum officium ſe habuerit: per Rectorẽ, & Conſiliarios prouideatur quemadmodum viderint expedire. Si tamen aliquid minus fideliter, vel doloſe in ſuo officio feciſſe conſtiterit, vltra pœnas à iure ſtatutas poſſit per eoſdẽ Rectorẽ & Cõſiliarios ab officio remoueri. Teneatur inſuper prędictus notarius in recognitionem ſui officij gratis conficere omnia, & ſingula inſtrumenta ad collegiũ, & redditus eius quomodolibet pertinentia. Ad alia autẽ ſpectantia ad perſonas particulares ipſius collegij non teneatur. Iurabitq; in principio receptionis ipſius, ꝙ fideliter ſuũ officiũ exercebit, & omniũ, & ſingulorũ inſtrumentorum de quibus fidem fecerit prothocolum faciat, & ꝙ in omnibus & ſingulis iuxta officium ſuum abſq; dolo, & fraude aliqua cõmodũ, & vtilitatẽ ad honorẽ ipſius collegij, & vniuerſitatis procurabit, & ꝙ in omnibus licitis, & honeſtis erit obediẽs mãdatis Rectoris ipſius collegij. Quòd ſi per tres mẽſes cõtinuos, vel interpolatos in vno anno, fuerit abſens à collegio, & vniuerſitate, niſi probauerit carceribus ſine culpa ſua, vel alio iuſto, & legitimo impedimento fuiſſe detentum, priuetur notaria, & alius ipſius loco eligatur.

¶ *De Vedellis.* LX.

ORdinamus inſuper, ꝙ ſint duo Vedelli, quorũ cuilibet per ſingulos annos dẽtur à collegio pro ſalario quindecim floreni, qui teneãtur præſtare iuramẽtũ, ꝙ cũ omni fidelitate, & ſolicitudine (quantũ in eis fuerit) ſe exercebũt in omnibꝰ, & ſingulis, ad quæ in his noſtris cõſtitutionibus obli

gantur,& ad quę ratione ſui officij tenentur. Quorum officium ſit ad nutū Rectoris, & Conſiliariorum à mobile, Et quoties officium alicuius ipſorū vacare contigerit infra decem dies à tempore vacationis prouideatur per Rectorem,& Conſiliarios de perſona decenter compoſita, & morigerata, & habili ad pręfatum officium exercendum. Teneantur etiam præfati Vedelli, alternatim per ſingulos menſes, niſi aliter inter ſe conuenerint, vnus eorum cuſtodire librariam, ſtatutis horis, prout in noſtris cōſtitutionibus continetur, & alter viſitare lectiones regentium, & lectorū: ita ꝙ ſi aliquis regentium, & lectorum non venerit hora debita, vel ante horam finitā receſſerit à lectione, denuntiet illud Rectori, vt per eum opportune prouideatur, vel monendo regentem, aut lectorem, ſiue eum multando ſi illud frequētauerit, & ſi aliquādo prorſus à lectione ceſſauerint, perdant de ſuo ſalario, quod ſibi ex qualibet lectione, vel reparatione quā prętermiſſerint, poterat pertinere ſecundū rectam cōputationē: habeantq; præfati Vedelli, vnum librum in quo omnes defectus, & abſentias huiuſmodi teneātur ſcribere. Adhibeatur plena fides præfato libro ſine aliqua contradictione. Teneātur inſuper prędicti Vedelli omnino adimplere omnia, & ſingula, quæ per Rectorē, & Conſiliarios, tā in proceſſionibus, & gradibus, q̄ circa quoſcunq; actus ſcholaſticos ac alia ad ſuum officium pertinentia ſibi fuerint iniuncta. Multa vero quam aliquos ex præfatis regentibus, & lectoribus, incurriſſe cōſtiterit diuidatur hoc modo. Quòd dimidiū ipſius applicetur archæ collegij, & aliud dimidiū Vedellis. Teneantur etiam præfati Vedelli animaduertere diligenter, an illi qui pro tempore conſtituentur in annotatores vulgaris ſermonis, cum omni fidelitate, & ſolicitudine exerceant huiuſmodi annotationis officiū. Habeanq; dimidiā partē pecuniæ inde prouenientis, vt in alia noſtra conſtitutione plenius cōtinetur. Nec poſſint abeſſe à collegio vltra duos menſes cōtinuos, vel interpolatim in quolibet anno, & tunc de licentia Rectoris. Ita tamen ꝙ alter eorum ſemper maneat in collegio. Et qui ſe abſentauerit teneatur dimittere ſubſtitutum ad arbitriū Rectoris.

¶ *De perſonis vniuerſitatis non conueniendis, niſi coram ſuo proprio iudice, & de pœnis eorum qui contrauenerint.* LXI.

ET quoniam literarum ſtudio incumbentibus maximè conuenit, vt ab omni ſtrepitu cauſarum, & litium ſint penitus alieni. Ideo hortamur vniuerſos, & ſingulos huius noſtri collegij, & vniuerſitatis quatenus ab omnibus litigijs, & controuerſijs abſtinentes ſolummodo ſtudijs literarū, & virtutibus intēdant. Sed ſi forſan inter ſe aliquas cauſas ciuiles, aut criminales, aut mixtas exoriri contigerit. Tunc Rectorem ipſius collegij, & totius

totius vniuerſitatis,qui eſt ſuus ordinarius,& iudex proprius autoritate apoſtolica ſibi cōceſſa adire dumtaxat teneantur.Cū ipſi ſint prorſus ab omni alia,& à quacunq; iuriſdictione exempti.Si quis vero prædictorū inter ſe,coram alio,q̄ coram præfato iudice aliquē ex omnibus de vniuerſitate conuenire,quoquomodo præſumpſerit,vltra pœnam in eiſdē literis apoſtolicis contentam pro prima vice eo ipſo perdat curſus quos peregiſſe cōtigerit:pro ſecunda vice priuetur vniuerſis priuilegijs eiuſdem vniuerſitatis,pro tertia autem ſi fuerit regens,vel lector:priuetur ſua regentia, vel lectura: Et ſi fuerit collegialis,vel alia perſona de habitantibus in collegio,expellat̃ ab eodē.Sed ſi fuerit ſcholaris de vniuerſitate,omnino ab ea expellatur.Cæterum quia cum vnicuiq; ſua iuriſdictio non ſeruatur,iuris ordo cōfunditur,& etiam quiſq; ſuis terminis debet eſſe contentus: Id circo diſtricte præcipimus,& prohibemus omnino,ne liceat Rectori,vel collegialibus,aut alicui alteri de collegio, ſub excommunicationis pœna,quā contrauenientes eo ipſo incurrant,receptare ſeu occultare,aut quocunq; modo defendere quoſcunq; delinquentes, vel malefactores, aut quorūcunq; criminū reos,ſiue cuicūq; ex debito,vel ex alia quacunq; cauſa obnoxios, qui ſint alterius iuriſditionis, ſi forſan aliquando eos, vel aliquem ipſorum ad collegium cōfugere contigerit,ſi tamē nō ad collegium, ſed ad ipſius capellam confugere acciderit,tunc nullatenus etiam intra collegium eos admittere,vel quouiſmodo recipere poſſint, ſub eadem excommunicationis pœna.

¶ *Quòd nemini intra ambitum collegij alio quàm latino ſermone vti liceat.* LXII.

STatuimus,& ordinamus, ꝙ omnes,& ſinguli Rector, regentes, capellani,collegiales,portioniſtæ,familiares,cameriſtæ, ſocij, & omnes alij ſcholares graduati, & non graduati ipſius noſtri collegij, & vniuerſitatis, intra ambitum collegij, cuius appellatione continetur capella, clauſtra, dormitoria, refectorium, gymnaſia, horti, libraria,& omnes aliæ officinæ, ac cætera omnia quæ intra diſtrictum ipſius collegij includuntur teneantur latino ſermone vti tam in concluſionibus, quàm in familiari & quotidiano ſermone, quocunq; modo, ſiue ſuper quacunq; re inter ſe colloquantur.Si quis vero ex omnibus ſupradictis repertus fuerit alio q̄ latino ſermone, vti ſiue fuerit Rector, aut regens, ſiue capellanus,aut collegialis,ſeu etiam portioniſta,vel familiaris, puniatur quolibet die hoc modo, pro prima vice priuetur portione vini in prima refectione proxime ſequenti,pro ſecūda vero priuetur tota portione proxime ſequētis refe

ctionis, pro tertia autem mulctetur integra portione vnius diei ſequentis. Sed ſi aliquis prædictorũ repertus fuerit per octo dies cõtinuos omnes pœnas ſupradictas quotidie incurriſſe cogatur ſoluere æſtimationem veſtuarij illius anni. Et ſi appatuerit incorrigibilis, & pertinaciter dixerit ſe nolle loqui latino ſermone, expellatur à collegio, cæteri vero quicunq;, tam de habitantibus intra collegium, ſicut ſunt cameriſtæ, & ſocij, quàm etiam extra collegium ſiue ſint regentes, ſeu quicunq; alij graduati, & non graduati ſcholares, quicunq; totius vniuerſitatis puniantur etiam qualibet die: pro prima vice qua vulgariter loquuti fuerint intra ambitum collegij (vt dictum eſt) octauæ parte quartæ vnius regalis argentei, quod eſt quaſi moro petinus currẽtis monetæ, pro ſecũda vero duplicetur eadem pœna, pro tertia autẽ mulctetur tota quarta parte vnius regalis (ſilicet) qui per eoſdem octo dies continuos prædictas pœnas ſingulis diebus incurriſſe conſtiterit: quicunq; ſit mulctetur pœna vnius floreni, & ſi apparuerit incorrigibilis, & pertinaciter dixerit, ſe nolle latino ſermo ne loqui expellatur ab vniuerſitate, ſi autem fuerint pueri, qui aliquam, vel aliquas pœnas ex ſupradictas incurrerint, puniãtur ferula, ac flagello, habito reſpectu ad frequentiam ſuorum exceſſuum. Sed quia parum prodeſſet, conſtitutiones cõdere, niſi eſſent qui eas exequerentur, ideo volumus, quòd per ſingulos quindecim dies deputentur aliqui annotatores, qui diligenter explorent, & annotent quos viderint eſſe culpabiles, hoc modo videlicet, ꝙ Rectori, regentibus, & capellanis, collegialibus, portioniſtis, familiaribus vniuerſis conſtituatur in annotatorem vnus ex prębẽdatis iuxta ordinem ſeſſionum in refectorio ſucceſſiue incipiendo ab eo qui poſterior fuit receptus ad præbendã. Qui ſtatim cum fuerit nominatus per Rectorẽ, teneatur exercere præfatum officium ſub pœna expulſionis à collegio & preſtarẽ iuramentum, quod fideliter, & diligenter exercebit ſuum officium, & ſi aliquẽ ex ſupradictis culpabilem repererit huiuſmodi vulgari locutione, immediate ſignificabit illud Rectori, vt ipſe Rector, vel alius de eius mãdato exequatur in eũ pœnã, vel pœnas iuxta præmiſſa contra eũ exequendas. & præfatus ordo exercendi prædictũ officium diſcurrat per vniuerſos prębendatos, exceptis Rectore, regentibus, quos ab huiuſmodi officio eximimus. Sed pro cameriſtis, & ſocijs, ac regentibus extra collegiũ habitãtibus, & ſcholaribus vniuerſis graduatis, vel nõ graduatis, cõſtituãtur annotatores per regentes & lectores cuiuſcunq; facultatis, hoc modo, quod quilibet regẽs cõſtituat vnũ annotatorẽ per ſingulos menſes, quẽ viderit diligẽtiorẽ cęteris ad huiuſmodi officiũ exercẽdũ, dũmodo ꝓ cameriſtis & ſocijs vnus ex ipſis cõſtituatur annotator, & iſti poſſint in diſtincte omnes & ſingulos ſcholares, tã ſuæ, ꝙ̃ alteri⁹ cuiuſcũq; lectionis vulgariter loquẽtes annotare volumus

volumus etiam, ꝙ aſſertioni iſtorum annotatorum ſine alia examinatione ſit omnino ſtandum. Teneantur autem iſti annotatores referre per ſingulas hebdomadas Rectori pœnas, quas ſinguli ſupradicti incurrerint; vt de eius mandatis executioni tradantur. Ita tamen ꝙ pecuniæ propter huiuſmodi annotationes ſoluendę à regentibus, vel ab alijs, qui a collegio recipiunt pecunias in ſalarium, vel quouiſmodo detineantur de ſuo ſalario, & vt vigilantius pręfati annotatores dictu m officiũ exerceant, habebũt dimidiam partem pecuniæ prouenientis ex huiuſmodi annotationibus. Reliqua vero dimidia dabitur Vedellis, & etiam ipſi Vedelli aduertant diligenter an; præfati annotatores cũ debita ſolicitudine exerceant officia ipſa annotationis; & vtrũ exequitur de mãdato Rectoris, vel alterius ab eo deputati pœnas pecuniarum annotationis prædictæ. Sed ſi aliquis annotatorũ quempiam in pręſentia ſua vulgariter loquentem omiſſerit annotare, vel apparuerit non adhibere diligentiam in exequẽdo officium annotationis huiuſmodi, pro qualibet vice puniatur pœna vnius argentei ipſis Vedellis applicandi pro qualibet vice. Super quibus omnibus, & ſingulis Rectoris, & regentiũ, Cõſiliariorum, & Vedelli, & vtriuſq; cõſcientias oneramus.

¶ *De viſitatione Collegij.* LXIII.

ET quia præfato noſtro collegio, eiuſquè diuturnitati, & vtilitati maxime conuenit perſonas, & bona quæcunquè ipſius diligenter viſitari. Ideo ſtatuimus, & ordinamus, quòd per ſingulos annos, capitulum eccleſiæ ſanctorum Iuſti, & Paſtoris, huius noſtri oppidi in die ſancti Andreæ cuiuſlibet anni eligat vnum de ſuo capitulo qui trigeſſimum annum excedat, ita ꝙ propter autoritatem, & dignitatem tanti officij ſit dignitas in eadem eccleſia, vel canonicus eiuſdem eccleſiæ, qui in alia ſit dignitas, vel ſaltem licentiatus in theologia ſeu in iure canonico, & viſitet pręfatũ noſtrum collegiũ bis in anno, præſtito prius per eoſdẽ de capitulo iuramento, de eligẽdo ſufficiẽtiorẽ ad huiuſmodi viſitationẽ faciendam, cõformiter ad hoc, quòd viſitatori iniungitur in hac noſtra cõſtitutione. Mittantq; Rector, & collegiales per octo dies ante huiuſmodi electionẽ duos ex antiquioribus eorum, qui moneant præfatum capitulum, vt recte, & conformiter ad hãc cõſtitutionẽ eligant viſitatorẽ, qui etiam ſint pręſentes die electionis huius in iuramẽto præſtãdo præciſſe. Incipiatq; primã viſitationẽ a die pręfato ſancti Andreę, & ſi neceſſe fuerit, duret viſitatio vſq; ad diẽ ſancti Illeſonſi anni ſequẽtis. Prima vero die qua viſitator venerit ad viſitãdũ collegiũ, cõgregetur clauſtrũ per Rectorẽ, vt moris eſt, & conſedeat viſitator ſimul cũ Rectore, & tunc Rector exigat ab eo iuramẽtũ fidelitatis in forma iuridica quòd

quòd fideliter exercebit officium viſitationis,& quod nulli perſonę mundi aliquid de his,quæ in viſitatione repererit,honorem,aut vtilitatē ipſius collegij,vel perſonarum eiuſdem concernens, neque quantitate pecuniæ, quā repererit verbo,ſignis,aut literis,aut alio quouiſmodo reuelabit: & antequàm incipiat viſitare teneatur requirere viſitationem precedentis anni,& ſi contenta in ea non inuenerit debite executioni mandata,ſtatim illa exequatur,puniendo ſuo arbitrio eos quos circa executionem prędictam faciendam culpabiles ſeu negligentes fuiſſe repererit.Deinde viſitet collegium principale,& perſonas ipſius,tam in capite,q̃ in membris,& reliqua collegia ſcholarum pauperum,inquirēs primo cum omni diligentia, vtrū Rector omnino,& integre omnia, & ſingula in his noſtris conſtitutionibus contenta adimpleuerit,& debite executioni mandauerit, viſitetq; ornamenta,libros,& diligenter aduertat computa,& rationes per deputatos illius anni exactas, & receptas,& informet ſe ab eiſdem circa ea quæ neceſſario viderit prouidenda,pecuniam frumenta,& diligentias adhibitas circa poſſeſſionum reparationes,viſitetq; ſcripturas, & inſtrumenta, & alia quęcunq; bona mobilia,ac ſemouentia, informādo ſe etiā de bonis immobilibus,& qualiter ſe habeant regentes,& cathedratici,ac alij lectores in legendo,& regendo ſuas cathedras,& lecturas ipſius collegij & ſemota prorſus omni particulari affectione,corrigat,& informet quicquid correctione,& reformatione dignum ſit: Et ſi præfatus viſitator ob aliquod delictum propter quod in noſtris conſtitutionibus pœna expulſionis à collegio deſignatur,aliquem duxerit à collegio expellendum, aut aliquam aliam pœnam iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionum infligendam, Rector,& Conſiliarij teneantur illud exequi ſine conſultatione, aut conſenſu collegialium. Quòd ſi intra tempus à viſitatore præfixum non exequatur,viſitator illud exequatur,& ſuo arbitrio puniat negligentes ſeu rebelles in huiuſmodi executionē facienda: ita tamen quòd multa ſeu pœna pecuniaria delinquentibus impoſita, nemini præterquàm archæ ipſius collegij applicari poſſit, & omnia quæ in viſitatione decreuerit facienda relinquat in ſcriptis, vt de eis ſemper conſtet plenarie. A qua quidem expulſione, correctione, & punitione, vel quacunque alia pœna nullus valeat reclamare, vel appellare ſeu ad aliquem ſuperiorem, vel iudicem in iudicio, vel extra recurrere quoquomodo, vel quodcunque aliud remedium quærere,quo minus viſitatio,expulſio, correctio, punitio,vel quæcunque alia pœna ſortiatur effectum. Habeat autem pro ſalario ſingulis annis pręfatus viſitator decem florenos. Et volumus,quòd vbicunque in noſtris cōſtitutionibus,fit mētio de florenis intelligatur de florenis auri de Aragonia,cęterū ſi capitulū dictę eccleſię ſanctorū Iuſti,& Paſtoris non

elegerit

elegerit infra decem dies,poſt diem præfixum ad eligendum computandos,vel qui per capitulum ad huiuſmodi electionem faciendam fuerit nominatus(vt præmittitur facere)renuerit aut(quod Deus auertat)maligne ſe in ea geſſerit,præcipiendo aliquid quod vergat in pernitiem,damnum aut leſionem collegij,vel collegialiũ,aut rei familiaris,aut attentet præcipere, vel diſponere aliquid,quod potius in detrimentum, q̃ in vtilitatem ipſius collegij redundare videatur. Aut odio,vel gratia,ira,vel inimicitia,fauore, vel timore procedere viſus fuerit,ita quod ipſa viſitatio perniciosa potius quàm vtilis ipſi collegio futura ſit.Idquè Rectori, & Conſiliarijs, omnibuſquè collegialibus,vel duabus eorum partibus iuramento aſtrictis viſum fuerit, tunc recurratur ad capitulum noſtræ ſanctæ Toletanẽſis eccleſiæ,vt committant alicui prouidę,& diſcretę perſonæ viſitationem ipſius collegij, vel negotium emergens: per quam in omnibus eidem collegio, & eius perſonis opportune conſulatur. Et ſi ſecundum grauitatem cauſæ expediret mittere aliquem de ſuo capitulo, eis obnixe commendamus, vt mittant aliquam perſonam de prædicto capitulo, per quam indẽnitati ipſius collegij integre prouideatur.Incipiatquè ſecundam viſitationem in die ſancti Iacobi menſis Iulij, & durabit vſquè ad diem ſancti Laurentij incluſiue eiuſdem anni. In qua viſitatione in his tantummodo principaliter viſitator inquirere intendat,videlicet vtrum omnia diſpoſita in præcedenti prima viſitatione ſint executioni mandata, & ſi qua repererit neglecta, ſtatim debite executioni tradat, cõtumaces animaduerſione debite puniẽdo,prout qualitas culpæ exegerit,& ſimiliter inquirat qualiter Rector,& reliqui omnes officiales domus,tam exiſtentes intra collegium,q̃ extra,ſua exerceant,& adminiſtrent officia,& etiam vltra hoc ſi aliquod enorme,vel dignum punitione repererit,ſiue in nõ ad implẽdo, vel exequendo contenta in his noſtris conſtitutionibus,vel alio quouiſmodo: poſſit tam in capite,q̃ in membris infligere quaſcũq; pœnas, quas pro qualitate culpæ viderit infligendas,ſiue ſuſpenſiones,vel priuationis officiorũ vel prout alias viderit expedire,ſeruata ſemper in hac ſecunda viſitatione forma tradita in prima viſitatione,tam in executione, quàm in omnibus alijs in hac noſtra conſtitutione de ſuper contentis. Quòd ſi electus in viſitatorem à præfato capitulo non potuerit aut renuerit prædictam viſitationem,ſiue primam,ſiue vltimam incipere,vel inceptam perficere, ſi per tertiam partem temporis cuiuſlibet viſitationis incipere, aut continuare diſtulerit,ſtatim eligatur alius de præfato capitulo qui iuxta formã ſuperius traditam vices alterius ſuppleat ſoluto ei pro rata ſalario viſitationis. Et prohibemus, ne alicui illorum ſoluatur ſalarium,niſi finita etiam vltima viſitatione.

¶De

¶ *De obedientia Rectori præſtanda ab omnibus de vniuerſitate, & à quo tempore incipient gaudere priuilegijs.* LXIIII.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ omnes & ſinguli regētes cathedratici, & alij quicunq; lectores, doctores, magiſtri, licentiati, bacchalarij, & ſcholares vniuerſi huius academiæ, & vniuerſitatis, cuiuſcunq; qualitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præminentiæ exiſtant in omnibus, & ſingulis regimini, & gubernationi Rectoris noſtri collegij pro tēpore eligēdi perpetuo ſubiaceant. Teneāturq; omnibus, & ſingulis mandatis ipſius licitis, & honeſtis, ac conſtitutionibus noſtris non contrarijs obedire, & aduocationem Rectoris præfati toties quoties ab eo, vel eius mandato vocati fuerint conuenire, ſtatuta, & conſtitutiones noſtras in omnibus, & per omnia inuiolabiliter obſeruare, honorem, vtilitatem, & dignitatem ipſius collegij ſemper & vbicūq; fuerint procurare. Exēptionē libertatē eiuſdē tueri. Quę omnia & ſingula antequàm ſcribantur in matricula vniuerſitatis infra ſex dies à die electionis Rectoris moderni computandos: Si præſentes fuerint, vel infra alios ſex dies poſtquàm ad vniuerſitatem venerint, teneantur ſic iurare. qui autem tale iuramentum non præſtiterint, nullatenus gaudeant priuilegijs, & prerogatiuis ipſius vniuerſitatis, nec ſcribantur in matricula, in qua ſcribi debent nomina, & cognomina omnium, & ſingularum perſonarum in eadem vniuerſitate reſidentium, neque computentur, aut admittantur alicui curſus., quos peregit, antequàm præfatum iuramentum præſtiterit. Dabit autem quicunq; prædictorum pro receptioni iuramenti huiuſmodi dimidiam partem quartæ vnius regalis, pecuniæ vero pro receptione iuramentorum huiuſmodi prouenientes diuidentur inter Rectorem, & notarios, ac Vedellos, ita ꝙ Rector habeat dimidiam partem totius pecunię, notarius vero, & Vedelli reliquam dimidiam inter eos vniformiter diuidendam.

¶ *De numero, & electione Conſiliariorum vniuerſitatis, & ipſorum officio.* LXV.

STatuimus etiam, ꝙ per ſingulos annos perpetuis futuris temporibus Rector & Conſiliarij collegij, & vniuerſitatis die quintadecima menſis Octobris teneantur eligere tres Conſiliarios de perſonis vniuerſitatis extra collegium commorantibus, & illi habeantur pro Conſiliarijs vniuerſitatis, qui ab omnibus, vel à maiori parte ipſorum Rectoris, & Cōſiliariorū vocaliter fuerint electi, & nominati. Qui ſic electi ſimul cū Rectore & Cōſiliarijs ipſius noſtri collegij intendant circa viſitationem cathedrarum, &

viſitationem

viſitationẽ regentium & lectorum dũtaxat, vt ſuperius diſpoſitum eſt, in alijs vero negotijs collegij, ſiue vniuerſitatis, præfati Conſiliarij vniuerſitatis, aut alij quicunq; de vniuerſitate, niſi per Rectorẽ & Cõſiliarios fuerint conuocati, nullatenus ſe intromittant. Rector vero & Conſiliarij collegij, quotieſcunq; viderint expedire, conuocent præfatos Conſiliarios vniuerſitatis, vel regentes aut lectores, aut alios quoſcũq; de ipſa vniuerſitate. Qui omnes, & ſinguli etiam ſi ſint regentes, vel lectores, aut cuiuſcunq; cõditionis ſint ad mandatum Rectoris ſtatim conuenire teneãtur. Cæterum cum arduum negotiũ eidem collegio, vel vniuerſitati emerſerit cuiuſcũq; qualitatis, Rector & Conſiliarij collegij teneãtur tunc cõgregare clauſtrum, & conuocare Conſiliarios vniuerſitatis, vt inter eos præfatum negotiũ tractetur. Quòd ſi ab omnibus, vel à maiori parte clauſtri viſum fuerit expedire alias perſonas debere vocari ad præ fatum negotium expediendum, eos cõuocent: Qui ſub pœna pręſtiti iuramenti ad mandatum Rectoris, & in loco, & hora per eum ſtatutis conuenire teneantur, vt de eorum Cõſilio pręfatum occurrens negotiũ expediatur. Et ſi oporteret aliquem ex regẽtibus pro negotijs ipſius collegij, & vniuerſitatis, ad curiam, vel ad aliam partem debere mitti, prouideatur ei à collegio de expenſis neceſſarijs, dũtaxat ꝓut ſuperius in alia noſtra conſtitutione diſpoſitum eſt, teneaturq; præfatã legationem ſibi iniunctam acceptare ſub pœna priuationis regentiæ. Et interim nihil perdat de ſalario ſuæ regentiæ, & collegium teneatur ſatiſfacere ſubſtituto.

¶ *De honeſtate perſonarum de vniuerſitate.* LXVI.

STatuimus inſuper, ꝙ nullus de vniuerſitate audeat publice arma deffer re, nec intra, nec extra Collegiũ. Contrarium facientes, ea perdant ipſo facto, & de eis arbitrio Rectoris diſponatur. Dũtamen in vtilitatẽ algazeli cedãt niſi aliter Rectori ſecũdũ Deũ videatur eſſe diſponẽdũ. Et ſi requiſiti, de mãdato Rectoris, illa reſtituere ſeu tradere ſine aliqua difficultate diſtulerint, eo ipſo ſententiã excomunicationis incurrant, à qua nequeãt abſolui, donec præfata arma Rectori tradiderint. Præterea, ſi quis de vniuerſitate repertus fuerit, publice habere concubinam, ſi fuerit ex regẽtibus, vel lectoribus, aut officialibus collegij, vel vniuerſitatis, priuetur regentia, vel lectura, vel officio, & ſi fuerit alia perſona de vniuerſitate, cuiuſcunq; ſit conditionis, ſtatus, vel pręminentiæ expellatur ab eadem. Prohibemus etiã, vt nemini ex ſupradictis omnibus liceat habere in ſua domo mulieres ſuſpectas, qui autã cõtrarium fecerit, & monitus de mãdato Rectoris à contubernio ſuo non expulerit, arbitrio ipſius Rectoris puniatur.

Cæterum

Cæterum cum in compoſitio corporis, qualitatem indicet mentis, decens eſt, vt qui literarum ſcientiæ inſudant profeſſionem ſuam, in habitu, & in omni exteriori compoſitione etiam comprobent. Ideo vniuerſos & ſingulos huius vniuerſitatis hortamur, vt in habitu, & in reliquis omnibus cum omni honeſtate incedant. Ad quod per Rectorem ſi aliquando neceſſe fuerit compellantur ſuper quo ipſius conſcientiam oneramus.

¶ *De forma iuramenti Regentium & Lecto rum.* LXVII.

EGo. N. in artibus, vel in theologia magiſter. &c. ad regentiam in hac vniuerſitate, vel ad cathedram vacantem admittendus, iuro Deum, & hæc ſancta Dei Euangelia, ꝙ vobis domino. N. Rectori, & veſtro ſucceſſori, ac veſtris mandatis licitis & honeſtis, quæ conſtitutionibus reuerendiſſimi in Chriſto patris, & domini. D. Franciſci Ximenez de Ciſneros ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, tituli ſanctæ Balbinæ presbyteri, Cardinalis Hiſpaniæ, Archiepiſcopi Toletani, huius collegij & vniuerſitatis vnici fundatoris, non obuient obediens ero, ac ſtatuta per præfatum reuerediſſimum Dominum, prout in eis continetur quantum in me fuerit obſeruabo, & ab alijs quibuſcunq; obſeruari curabo, lectiones, & alia exercitamenta, ad quæ ſecundum conſtitutiones eiuſdem reuerendiſſimi Domini teneor, cũ omni diligentia, fidelitate & veritate ad maiorem fructum, & vtilitatẽ audientium, pro viribus meis legam, & lecturam mihi aſſignatam, integre & fideliter interpretabor, & curſum ad quem ſum electus perficiam, & conſummabo, ſub pœna ꝙ meis expenſis, alius poſsit ſubrogari, neq; cedulam vel ſignetum dabo pro bacchalariandis, vel graduandis, niſi pro illis, quos probabiliter nouero peregiſſe curſum ſub me, vel alijs regentibus, honorẽ & vtilitatem huius collegij & vniuerſitatis, ac perſonarum ipſius ſemper in omnibus, & per omnia procurabo. Damna autem eiuſdem collegij, & vniuerſitatis quantum in me fuerit auertam. Conſilium meũ, auxilium & fauorem, in omnibus & ſingulis negotijs, ipſius collegij, & vniuerſitatis, cũ omni fidelitate præſtabo, literas contrarias, vel in aliquo derogantes, cõſtitutionibus, aut intentioni præfati reuerendiſsimi Domini, nunq̃ procurabo, nec per alium procurari faciam in fauorem meum, vel cuiuſuis alterius, nec aliàs quocunq; modo, abſolutionem, vel diſpenſationem iuramẽti huius, aut alicuius partis ipſius petam, nec impetrabo per me, nec per alium, & cõceſſa, vel impetrata, abſolutione non vtar, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

¶ De

¶*De forma iuramenti Capellanorum, & Collegialium.* LXVIII.

EGo ad præbendam, vel capellaniã huius collegij admittendus. Iuro Deũ & hæc ſancta Dei euangelia, ꝙ cum omni fidelitate, & poteſtate, quantũ in me fuerit, conſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta Reuerẽdiſſimi in Chriſto patris Domini. D. Franciſci Ximenez de Ciſneros, ſacro ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Balbinæ preſbyteri Cardinalis Hiſpanie, & Archiepiſcopi Toletani, ipſiuſq; Collegij vnici fundatoris, & patroni inuiolabiliter obſeruabo, & a cæteris collegialibus, & ſcholaribus vniuerſis, in quantum potero obſeruari faciam, & in examinatione recipiendorum in collegio, fideliter, & diligenter me exercebo, ſemperq;, in huiuſmodi receptionibus, ſtatuta per eundẽ Reuerendiſſimum dominum fundatorem obſeruabo, & ab alijs obſeruari curabo: officia, ſeu adminiſtrationes, quæ mihi committentur in eodem collegio acceptabo, & fideliter exercebo iura, libertates, exemptiones, bona, fructus, redditus, & prouentus ipſius collegij cõſeruabo, ac per poſſe integre curabo. Confraternitatem initam cum collegiata eccleſia ſanctorum Iuſti, & Paſtoris huius oppidi, prout in inſtrumentis, inde confectis continetur obſeruabo, & patrocinium ſimul cum dicta eccleſia, prout etiam in inſtrumento inde confecto continetur, monaſterio, & hoſpitali, ac domni puellarum ſancti Ioannis de penitentia, iuxta mentem præfati Reuerẽdiſſimi domini præſtabo. Procurationis, vel nuntij, aut legationis officia, ſi quando mihi committentur, etiam quocũq; mittar, etiam ſi ad curiam Romanam, acceptabo, & officium ipſius legationis, vel procurationis, fideliter exercebo, literas contrarias, vel in aliquo derogãtes conſtitutionibus, aut intentioni præfati Reuerendiſſimi domini nunq̃ procurabo, nec per alium procurari faciam, in fauorem meum, vel cuiuſuis alterius, & alias quocunq; modo, abſolutionẽ, vel diſpenſationem iuramenti huius, aut alicuius partis ipſius non petam, nec impetrabo per me nec per alium, & conceſſa, & impetrata abſolutione non vtar. Secreta clauſtri, & alia quęcunq; nociua collegio, vel bonis ipſius, aut perſonis, honori aut vtilitati eiuſdem nulli pandam, nec alio modo reuelabo. Et quandiu permanſero in collegio, & etiam poſtquàm ab eo exiero ſemper ero in fauorem, & auxilium ipſius, & contra ipſum, & eius perſonas nunquam pręſtabo auxilium, conſilium vel fauorem, & ante receſſum meum ab eodem collegio, ſecundum ſtatuta eiuſdem Reuerẽdiſsimi domini omnium bonorum aut pecuniarum, vel quarumcunq; rerum mihi cõmiſſarum omni fraude ceſſante rationem reddam, ac debitorum ſi quæ in collegio cõtraxero, plenam, debitam, & integram ſatisfactionem faciam, deniq; collegij, & vniuerſitatis,

ac oppidi ipſius dignitatem, honorem, fauorem, vtilitatem, ac proſperitatem, pro viribus meis, in quemcunq; ſtatum venero, & cuiuſcunq; cōditionis fuero defendam, & toto vitæ meæ tempore procurabo, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia.

¶ *De forma iuramenti Portioniſtarum, Cameriſtarum, familiarium, ſociorum, & officialium vniuerſitatis.* LXIX.

EGo. N. Portioniſta, Familiaris, Cameriſta, ſocius, officialis vedellis, & huius collegñ, & vniuerſitatis ſancti Illefonſi huius oppidi de Alcala de Henares iuro Deum, & hæc ſancta Dei euangelia, ꝙ vobis domino Rectori huius collegñ, & vniuerſitatis, ac omnibus mandatis veſtris licitis, & honeſtis, quæ conſtitutionibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Franciſci Ximenez de Ciſneros, ſacro ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Balbinæ preſbiteri Cardinalis Hiſpaniæ, Archiepiſcopi Toletañ. &c. huius collegñ, & vniuerſitatis vnici fundatoris, nō obuient obediens ero, ac in rebus, & negocñs mihi iniunctis, fideliter, & diligenter me exercebo. Bona ipſius collegñ pro poſſe cōſeruabo. Secreta ipſius ſi quæ mihi cōmittetur, aut ego ſciuero, nulli reuelabo, officium mihi traditum, vel cōmiſſum, iuxta formā conſtitutionū eiuſdē collegñ, fideliter exercebo, iura, libertates, exemptiones, & prærogatiuas ipſius collegñ, & vniuerſitatis pro viribus meis defendam, cōmoda, & vtilitates ipſius, in quantū potero procurabo. Damna, & incommoda eius auertā, & pro poſſe propulſabo. Et vt opportune, ſuper eis prouideatur Rectori, & cōſiliarñs denunciabo, & aduocationē veſtrā, toties quoties fuero requiſitus veniā. Honorē dignitatē, & vtilitatē ipſius collegñ, in quemcunq; ſtatum venero totò vitę meæ tēpore procurabo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia.

¶ *De forma iuramenti ſcholarium, & aliorum de vniuerſitate cuiuſcunq; gradus exiſtant.* LXX.

EGo. N. Doctor Magiſter Licentiatus, Bacchalarius, ſcholaris huius almæ vniuerſitatis de Alcala de Henares. Iuro Deum, & hæc ſancta Dei euangelia, quòd vobis domino Rectori præfatæ vniuerſitatis, ac omnibus mandatis veſtris licitis, & honeſtis, quæ conſtitutionibus Reuerendiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri. D. Frāciſci Ximenez de Ciſneros, ſacro ſanctæ Romanę eccleſię tituli, ſanctę Balbinæ preſbyteri cardinalis Hiſpanię, Archiepiſcopi Toletañ. &c. huius collegij, & vniuerſitatis vnici fundatoris, & patroni non obuient, obediens ero, & in negocñs, & rebus præfati Collegñ

collegĳ,& vniuerſitatis auxilium,& fauorē ipſi collegio, & vniuerſitati fideliter præſtabo. Iura,libertates exeptiones,& pręrogatiuas ipſi' Collegĳ, & vniuerſitatis pro viribus meis defendā. Damna autem, & incommoda ipſius collegĳ, & vniuerſitatis,ac perſonarum ipſius pro poſſe auertam, & propulſabo.Et ad vocationem veſtrā toties, quoties fuero requiſitus veniā. honorem,dignitatem,& vtilitatem ipſius collegij,&vniuerſitatis,in quem cunq; ſtatum venero,toto vitæ meæ tempore procurabo.Sic me Deus adiuuet,& hæc ſancta Dei euangelia.

¶*De protectoribus Collegĳ, & vniuerſitatis.* LXXI.

TAnto chriſtianiſſimi principes ſacrarum literarum ſtudioſis magnificentiores præſtare ſe debent, quanto ad reddendam rationem iniuncti ſibi regiminis,in illo vltimo,&diſtricto examine obligatiores exiſtunt.Nā, & ſi cunctos populos,& perſonas ſibi ſubditas, ſuo patrocinio tutari teneātur,illis tamen propenſius fauere debent,qui relicto natali, ſolo ſapiētiæ amore,quàm plurimis ſe ipſos expoſuere calamitatibus, & miſerĳs, vt animas Deo omnipotēti fœlici commertio lucri facerent. Vnde quanq̄ noſtris temporibus bonarum artium, & ſacræ theologiæ ſplendor in hoc noſtro collegio(illo potiſsimum largiente, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi)adeo coruſcare incipiant, vt iure firmam in domino ſpem concipiamus: ſummos viros in poſterum non defuturos, qui collegium noſtrum, & perſonas ac bona ipſius ſingulari beneuolentia, & amore proſſequantur, tamen quia poſſet contingere, ꝙ propter in curiam eorum quibus ipſius collegij incumbit gubernatio, ſiue alias ſtatus eiuſdē tractu temporis minueretur:ſi perſonarum potentium,ac ſcientiæ,& virtutum amore flagrantium protectione,& patrocinio non fulciretur. Ideo collegium noſtrum chriſtianiſsimorum regum Caſtellæ,ac reuerendiſsimi ſacro ſanctæ eccleſiæ Romanæ tituli ſanctæ Balbinæ Cardinalis,& Reuerendiſsimi Archiepiſcopi Toletani,ac illuſtrium Ducis del Infantadgo, & Comitis de Curuña pro tempore exiſtentium, in perpetuum protectioni, & patrocinio commendamus eos in domino obſecrantes, quatenus præfatū collegium,& perſonas,ac bona, libertates,& priuilegia ipſius à quibuſcunque violentijs,oppreſsionibus,iniurijs,atque moleſtijs, protegant,& tueantur,ita ꝙ omni perturbatione,& in curſu ceſſante collegiales, aliæq; perſonæ ipſius collegij,& vniuerſitatis,melius poſsint ſacris literis inſudare, & remp. in Dei amore,& timore ſua doctrina inſtituere. & quoniam regali faſtigio, & temporali celſitudini præfatorum Hiſpaniarum principum, necnon & magnitudini cæterorum,qui ſola humanitate, & ſcientiæ ac ſa

pientiæ zelo ſuam protectionem noſtro collegio offerre nati ſunt, Collegium ipſum pro ſua conſeruatione,& protectione parem gratiam refferre non poſſet,niſi pro temporalibus ſpiritualia dona rependeret, nullumq; munus præſtantius,neq; honorificentius inueniri valeat, q̃ ſi defenſores,& protectores ſuos glorioſiſſimo hiſpaniarum patrono,& protectori ſanctiſſimo, videlicet Iacobo,humillimis,& frequentibus precibus cõmendet,cũ ipſe à clementiſſimo Deo Hiſpaniæ regnis patronus defenſor,& præclariſſima lux,& decus exhibitus ſit:vt quemadmodũ illi ſuum patrocinium, fauore,potentia,& auctoritate collegio,& vniuerſitati impendere debent:ſic etiam collegiales,& vniuerſitas omnis, inclitum Hiſpaniæ ducem certiſſimumq; præſidium,precibus votiſq; interpellent. Quo ille ad patrocinandum collegij protectoribus,amplioraq; eis beneficia exibenda facilior pro penſiorq; reddatur. Ideo ſtatuimus, & ordinamus, q per ſingulos annos in perpetuũ Rector,regentes,capellani,Collegiales,doctores,magiſtri,licentiati,bacchalarij,& cæteri omnes ſcholares ipſius Collegij, & vniuerſitatis in vigilia ſancti Iacobi teneantur in capella ipſius collegij pro chriſtianiſſimis regibus,ac alijs protectoribus prænominatis veſperas celebrare, & ſequenti die,in ſimul proceſſionaliter ad eccleſiam ſancti Iacobi conuenire, vbi ſimiliter pro eiſdem protectoribus miſſa ipſius feſti cum ſermone per eoſdem ſolenniter celebretur. Sed ſi forte (quod Deus auertat) eidem collegio aliquod graue detrimentum ex quibuſuis arduis,& ingruẽtibus neceſſitatibus immineat,ita q perſonæ ipſius collegij non poſsint abſque graui periculo,& damno in hoc oppido commorari,tunc recurrant,primo ad cõuicinos protectores,videlicet Reuerendiſsimum Archiepiſcopum,& Illuſtres,Ducẽ,& comitẽ implorãtes auxiliũ,& remediũ imĩnẽtis aduerſitatis. Quòd ſi expediens,& opportunum remedium ab eis nõ obtinuerint, tunc congregetur collegiũ,& tota vniuerſitas, videlicet Rector,regẽtes, cõſiliarij,collegiales,doctores,magiſtri,licẽtiati,& reliqui omnes graduati eiuſdẽ collegij,& vniuerſitatis. Et ſi poſt maturam deliberationem,præſtito prius ab eiſdem iuramẽto,viſum fuerit præfatis omnibus vel ſaltim duabus ipſorum partibus, collegiũ, & vniuerſitatẽ in hoc oppido abſq; graui ſuo periculo,& damno eminenti non poſſe perſiſtere (vt præfertur) tunc dimiſſa ab eiſdem diligenti,& fideli cuſtodia in collegio: mutationem ipſius collegij, & vniuerſitatis ad tempus ad aliquam ciuitatem, vel aliquod inſigne oppidum huius noſtræ diœceſis regali dominio, & iuriſdictionis ſubiectum, durante præmiſſa neceſsitate, fieri permittimus. Dum tamen ad præfatam mutationem prælibati chriſtianiſsimi Regis Caſtellæ accedat aſſenſus. Et ceſſante prædicta neceſsitate teneantur ad præfatum noſtrum collegium ſtatim redire.

¶De

¶ *De volumine Conſtitutionum, & tempore quo ad menſam ſunt legendæ.* LXXII.

TAndem vt præfatæ noſtræ conſtitutiones omnibus innoteſcant, & nullus de omnibus, & ſingulis in eis contentis poſſit aliquam prætendere ignorātiam: ſtatuimus, vt vnus liber iſtarū conſtitutionū ſit ſemper affixus in librari a eiuſdem collegij cum ſua catena, vbi ipſarū copia ab omnibus, & ſingulis facilius haberi poſſit vltra volumen noſtro ſigillo munitum, & roboratum: q̄ in archiuis ipſius collegij, vbi libri poſſeſsionum, & redituū eiuſdem reponuntur perpetuò decernimus permanere. Aliud vero maneat ſemper penes Rectorem: & inſuper volumus, q̄ ſaltem ſemel in annò immediate poſt feſtum ſancti Lucæ legantur præfatæ conſtitutiones in refectorio hora prandij & cœnæ, vt plenius ad notitiam omnium, & ſingulorū in eodem collegio habitantium poſsint peruenire.

LXXIII.

ACta fuerunt hæc in domibus ſolitæ habitationis præfati illuſtris & Reuerendiſsimi Domini ſub anno, in ditione, meſe, die & pontificatu quibus ſupra, ac ſolenniter publicata vniuerſis & ſingulis, Rectori, Regētibus, Cathedraticis, Lectoribus, Capellanis, Collegialibus, ac multis alijs magiſtris, Doctoribus, Licentiatis, Bacchalarijs, ſcholaribus eiuſdem Collegij, & vniuerſitatis in capella ſancti Illefonſi præfati collegij, præſente vniuerſo clero, & maxima parte populi eiuſdem oppidi: aſsiſtēte præfato illuſtri, & Reuerendiſsimo domino, & præſentibus ibidem, Reuerendis, & magnificis Dominis, Domino Ioanne de Velaſco Epiſcopo Calagurritano, & domino Petro de Ayala, Epiſcopo Rubiceñ. & domino Antonio de Garai, epiſcopo Sabaſteñ. Et domino Garcia de Villa Ruel præfecto de Caçorla, teſtibus ad præmiſſa vocatis, Pariterq; rogatis.

IN DEI NOMINE AMEN.

INCIPIVNT CONSTITVTIONES PRO REgimine, & gubernatione collegiorum pauperum ſtudentium vniuerſitatis oppidi de Alcala de Henares Toletañ. diœceſis ædita autoritate apoſtolica per Illuſtriſſimum, & Reuerẽdiſſimum Dominum. D. Fratrem Franciſcum Ximenez de Ciſneros, miſeratione diuina ſacro ſancta Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Balbinę preſbyterum Cardinalem Hiſpaniæ Archiepiſcopum Toletañ. &c.

LXXIIII.

CVm nos fauente Deo retroactis temporibus fundauerimus, & dotauerimus noſtrum collegium ſancti Illefonſi, huius noſtri oppidi de Alcala de Henares, in quo decreuimus, & ſtatuimus reſidere, & commorari triginta & tres collegiales, & duodecim capellanos, vt in eo velut in capite repreſentetur perſona ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et in numero dictorum Collegialium plenitudo ætatis eiuſdem, ac in duodecim ſacerdotibus capellanis, numerus duodecim apoſtolorum recoleretur. Nunc vero, quia quàm plurimi ſacerdotes, & alij ſcholares pauperes ad præfatum noſtrum Collegium, & vniuerſitatem amore, & deſiderio ſcientiæ confluunt, & propter paupertatem, & neceſſariorum penuriam ab ſtudio deſiſtunt (& quod dolendum eſt) inceptum virtutis tramitem relinquunt. Volentes eorum laudabili propoſito ſubuenire, decreuimus erigere alia decem & octo collegia ſcholarium pauperum, vt in eiſdem liberalibus diſciplinis, & ſacræ theologiæ, & medicinæ, ac exercitio linguarum, grammaticæ, & Græcæ incumbant. Quorum duodecim collegia ſint in honorem duodecim apoſtolorum Domini noſtri Ieſu Chriſti. In quibus duodecim Collegijs ſint centum & quadraginta quatuor ſcholares pauperes. Commorentur duodecim perſonæ in quolibet collegio, & alia ſex, vbi ſeptuaginta, & duo ſcholares pauperes grammatici, & Græci debent commorari, videlicet ſexaginta grammatici & duodecim græci ſint in honorem ſeptuaginta duorum diſcipulorum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et quia domos, & habitationes quas pro præfatis collegialibus pauperibus ædificari mandauimus, ſunt adeo amplæ in quibus oportet commorari maior numerus, quàm duodecim collegialium pauperum. Ideo decreuimus, quòd omnes præfati collegiales pauperes commorentur in ſeptem habitationibus, ſiue collegijs, quæ ad exercitium

cuiuſlibet

cuiuſlibet facultatis ſunt conſtructa. Sitque primum ex præfatis ſeptem Collegijs, Collegium theologorum ſub inuocatione matris Dei, & vere mediatricis noſtræ, ad inueniendam ſcientiam ſalutis, quæ ſola inuenta eſt in vtero habens illam theologiam, videlicet Dei verbum, & Dei ſapientiam, quæ manet in miſterio abſcondita, & facit ſe inueniri ab his qui in vocant eam, & quærunt quaſi pecuniam, & ſicut theſaurum effodiunt illam: hi enim ſunt illi veri theologi quibus datum eſt noſſe miſterium regni, cæteris autem in parabolis. Secundum Collegium ſit religioſorum ſub inuocatione ſanctorum Petri, & Pauli, in quo tredecim religioſi de obſeruantia Beati patris noſtri Franciſci cohabitent cum alijs duobus religioſis eiuſdem ordinis, qui eis miniſtrent, prout in Conſtitutione noſtri principalis Collegij ſuper hoc edita plenius continetur. Tertium ſit Phyſicorum ſub inuocatione Sanctæ Catherinæ, in quo quadraginta & octo collegiales, viginti quatuor metaphiſici, & totidem phyſici commorentur. Et quartum ſit logicorum, & ſummuliſtarum ſub inuocatione Sanctæ Balbinæ, in quo ſimiliter quadraginta, & octo Collegiales pauperes, videlicet viginti quatuor logici, & totidem ſummuliſtæ cohabitent. Quintum ſit Grammaticorum, & Græcorum ſub inuocatione Sancti Eugenij huius noſtræ ſanctæ ſedis Toletanæ, primi Archipreſulis vbi triginta Grammatici, & ſex Græci commorentur. Sextum Collegium ſit ſimiliter Grammaticorum, & Græcorum, ſub inuocatione Sancti Iſidori, Doctoris Hiſpaniarum in quo collocentur alij triginta Grammatici, & ſex Græci, nam in his duobus Collegijs Sancti Eugenij, & ſancti Iſidori habendum eſt exercitium linguarum Latinæ, & Græcæ. Septimum ſit infirmorum ſub inuocatione ſancti Lucæ, in quo collocentur ſcholares infirmi, qui poterunt recipi, & curari de redditibus deputatis pro dicto Collegio infirmorum, iuxta modum, & formam inferius explicandam. Statuimus, etiam & ordinamus, quòd ſi pro regimine dictorum collegiorum, vel in poſterum Deo dante eligendorum, vel alicuius illorum oportuerit, quòd inter præfatos Collegiales pauperes commorentur aliqui ſacerdotes, decreuimus, quòd ex triginta, & tribus capellanis, quos extra noſtrum principale Collegium ſtatuimus eſſe, & commorari: Deputentur per Rectorem aliqui ex præfatis capellanis, qui dictorum Collegiorum habeant curam, & ſolicitudinem, ſignanter pro Collegijs Grammaticorum, & ſummuliſtarum, & logicorum, Et pro adminiſtratione hoſpitalis pauperum: voceturque capellanus deputatus pro gubernatione alicuius ex præfatis Collegijs Vicerector: ſitque eius officium ad nutum Rectoris amobile. Et volumus, quòd ex ſingulis præfatis Collegijs, præterquàm in Collegio religioſorum, & in

poſterum erigendis deputetur ſiue ex præfatis capellanis, ſiue ex Collegialibus cuiuſlibet Collegij vnus illorum, quem Rector duxerit eligendum, qui curam, & ſolicitudinem cuiuſlibet Collegij habeat, & appelletur Vicerector, vt præmiſſum eſt, ad nutum Rectoris amobile. Et ſtatuimus inſuper quòd præfatum noſtrum Collegium principale ſancti Illefonſi, ex fructibus, & redditibus, & prouentibus ipſius, quos nunc obtinet quos in poſterum quouis modo, & quauis cauſa obtinerit, teneatur manu tenere, & ſubſtentare præfata decem, & octo, collegia, ſecundum quantitatem cuiuſlibet ipſorum inferius aſsignandam, & ſi tantum excreuerint facultates eiuſdem noſtri principalis Collegij, quòd vltra hæc poſſint alia collegia ſuſtentari, teneantur redditus, & poſſeſsiones emere, vt exinde erigantur, & conſtruantur alia Collegia. Ita quòd non ſit determinatus numerus Collegiorum, ſed tot ſint Collegia, quod ſuppetent redditus perpetui, ſeruata ſemper in omnibus forma Conſtitutionis præfati noſtri principalis Collegij, in qua diſponitur de Collegijs pauperum.

¶ *De electione, & qualitate eligendorum.*
LXXV.

STatuimus, & ordinamus, quod ad Rectorem, & conſiliarios noſtri principalis Collegij, vel eorum maiorem partem pertineat poteſtas eligendi, & inſtituendi capellanos, & ſcholares, qui aſſumendi ſunt ad præfata collegia ſcholarium pauperum, ita tamen quod neminem poſsint eligere, qui non ſit adeo pauper, quod abſque penuria non poſſet aliunde ſuſtentari, & quod etiam eligendi ſint honeſti, & dociles ac ab omni crimine prorſus alieni. Et quotieſcunque contigerit, ꝙ plures ſcholares pauperes ad eandem præbendam ſe oppoſuerint, tunc pauperior ipſorum cæteris paribus præferatur, habita prius per Rectorem, & conſiliarios diligenti informatione, quòd aliunde non habeat, vnde abſque penuria ſuſtentari poſsit, & quotieſcunque conſtiterit, quòd aliunde ſuſtentari poſsit, ſtatim expellatur à Collegio, & loco ipſius alius pauperior aſſumatur, etiam ſi tempore ſuæ receptionis fuiſſet vere pauper, ſi poſtmodum vndecunque prouenerit, habuerit vnde poſsit ſuſtentari, & admittantur ad præfata Collegia, tam oriundi ex hoc noſtro oppido, quàm vndecunque venerint, cuiuſcunque ætatis ſint, & cæteris paribus præferantur oriundi ex noſtra diœceſis, & ne diſparis habitus, & diuerſæ profeſsionis perſonæ, inſimul commorentur, quod à iure caute prohibitum reperitur. Statuimus ꝙ in omnibus collegijs tantummodo clerici, & perſonæ ſeculares collocetur, dum

dum tamen nullus eorum ſit coniugatus,aut aliquam ſibi deſponſauerit, in collegio tamen beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli religioſi de obſeruantia ſolummodo commorentur, prout alias diſpoſitum eſt. Et ſi contigerit aliquem familiarium deeſſe in collegio principali, volumus quòd quicunque ſe oppoſuerit ad aliquam præbendam vacantem in præfatis collegijs pauperum in quacunque facultate, ſi fuerit neceſſarius ipſi Collegio, & habilis ad ſeruiendum pro familiare, non eligatur ad præbendam niſi prius eidem Collegio principali deſeruiat toto tempore, quo fuerit neceſſarius. Et idem volumus obſeruari in prædictis triginta, & tribus capellanis,videlicet quòd ſi aliquando occurrerit, quòd noſtrum principale collegium vellit aſſumere aliquem ex præfatis capellanis,quem viderit expedire ad capellaniam vacantem in eodem principali Collegio, teneatur ſtatim tranſire ad ſeruiendum ipſi Collegio, & alias eo ipſo ſit priuatus capellania Collegij pauperum, quam habebat. Et inſuper ordinamus, quòd quoties aliqua præbenda, vel capellania in præfatis collegijs ſcholarium pauperum, vel extra vacare contingerit, infra duodecim dies Rector, & Conſiliarij teneantur alium eligere, & aſſumere qualificatum vt præfertur.

¶ *De iure & modo præſentandi ad aliquas præbendas.* LXXVI.

STatuimus inſuper,& ordinamus, quòd perpetuis futuris temporibus, in præfatis decem, & octo collegijs ſcholarium pauperum, aut in poſterum augendis,& erigendis exceptis collegio fratrum minorum beatorum Petri,& Pauli, & Collegio infirmorum ſancti Lucæ chriſtianiſſimus, & potentiſſimus rex Caſtellæ protector noſtri Collegij principalis ſancti Illefonſi poſſit præſentare ſex perſonas cuiuſcunque facultatis in prædictis Collegijs,& Reuerendiſſimus Cardinalis ſanctæ Balbinæ,& Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Toletanus, ac illuſtris Dux del Infantadgo, & Comes de Curuña,protectores eiuſdem Collegij, ſinguli eorum alios tres, & Dominus Benedictus Ximenez de Ciſneros, & domina Iuanna Ximenez de Ciſneros,& domina Maria de Ciſneros, nepotes noſtri domini Ioannis Ximenez de Ciſneros fratris noſtri, filij, & ſucceſſores eorum, in domo, & maioratu ſinguli eorum alios tres,& capitulum noſtræ ſanctæ eccleſiæ Toletañ.alios tres,& conſiſtorium ciuitatis Toletañ.alios tres,& hoc noſtrum oppidum de Alcala, alios tres,& capitulum eccleſiæ ſanctorum Iuſti,& Paſtoris tres,& oppidum noſtrum de Tordelaguna,alios duos, & communitas territorij de Alcala,quæ vulgo el comũ de la tierra vocatur, alios duos.

Ita quòd omnes quadraginta tres ſic præſentandi ſint eiuſdem qualitatis cæterorum eligendorum videlicet, in paupertate,& honeſtate,ac habilitate (vt præmiſſum eſt) & ſi contigerit aliquem ex protectoribus perſonam non idoneam præſentare, ſit ea vice poteſtate præſentandi priuatus, & ad Rectorem, & Conſiliarios electio deuoluatur. Et volumus quòd præſentati (vt præfertur) qualificati ſine aliqua difficultate recipiātur,& ad quācunque facultatem præſententur, cenſeantur præſentati per totum tempus, quo ſecundum noſtras Conſtitutiones poſſint in eiſdem collegijs permanere, & occurrente vacatione alicuius perſonæ (vt præfertur) præſentatæ tam per obitum, quàm quouis alio modō, poſſit denuo is, qui illam perſonam præſentauerat, aliam præſentare in quocunque Collegio locus aliquis vacuus extiterit: & quoties contigerit aliquem protectorem plures perſonas ad vnicam præbendam præſentaſſe, primus in data, dum tamen (vt præmiſſum eſt) ſit qualificatus præferatur. Et infra menſem à tempore vacationis teneatur patronus præſentare, & præſentatus infra idem tempus coram Rectore, & Conſiliarijs perſonaliter comparere, & ſuam præſentationem eis oſtendere: alias liceat Rectori, & Conſiliarijs ſine præiudicio patronorum ad eandem præbendam pro illa vice duntaxat eligere.

¶ *De Alimentis, & ſtipendio ſcholarium pauperum.* LXXVII.

ORdinamus inſuper, & ſtatuimus, quòd præfatum noſtrum principale Collegium ſancti Illefonſi, perpetuis, & futuris temporibus teneatur præſtare cuilibet Collegiali prædictorum Collegiorum per nos erectorum, & aliorum quæ in poſterum, fauente Deo ex ſuper excreſcentibus redditibus erigentur (vt præmiſſum eſt) duodecim fanecas tritici ſingulis annis pro ſuis alimentis: & inſuper quartam partem vnius argentei per ſingulos dies, videlicet theologis, medicis, & artiſtis graduatis in hac noſtra vniuerſitate duntaxat, ſaltem in gradu bacchalariatus, reliquis vero non graduatis, decem fanecas tritici tantummodo ſingulis anis, & octauam partem vnius argentei per ſingulos dies: nam licet hæc portio omnibus ſit ſufficiens, tamen vt theologi, & Medici, & alij graduati honorificentius, & cum maiori decore poſsint viuere, & habere familiares, qui eis in refectorio ſeruiant, dignum eſt vt maiorem portionem recipiant, ita vt reliqui inuitentur ad ſtudium, & gradus conſequendos. Teneanturque omnes pręfati Collegiales pauperes, in ſimul & in communi conuenire ad prandium, & ad cœnam hora competenti, vi-

ti, videlicet collegiales cuiuſlibet collegij per ſe. Diſtributio autem præfatæ ſummæ frumenti, & pecuniarum fiant hoc ordine, quòd Rector, & Conſiliarij noſtri principalis Collegij teneantur dare in perpetuum in fine cuiuſlibet menſis alicui capellano minori eiuſdem noſtri principalis Collegij ad hoc deputato quantitatem frumenti, & ſummam pecuniarum, quæ præfatis collegijs iuxta eorum numerũ, & copiam ſcholarium, ibidem commorantium præſtanda ſint: & præfatus capellanus ſtatim in fine menſis teneatur ſimiliter pręſtare cuilibet collegio prædictorum, vel Vicerectori eiuſdem Collegij, aut alteri perſonæ per Rectorem deputandæ frumentum ſibi competens iuxta prædictam taxationem, & ſummam pecuniarum, quæ pro eodem menſe eis pertinuerit: vt diſtribuat per ſingulos dies in alimentis, & ſuſtentationibus collegialium eiuſdem Collegij. Ita quòd ordinarium ac ſumptus cuiuſcunque diei per Rectorem ſtatuatur & præfigatur, & etiam tam prædicta, quàm omnia alia quæ in dictis collegijs venerint diſponenda, arbitrio Rectoris moderentur. & prouideant Rector, & conſilliarij, quòd præfati vicerectores ſint fideles diſpenſatores, & prouidi in adminiſtratione eorũ quæ ſibi incumbunt. & ſi aliquem ex collegialibus ab aliquo prædictorum Collegiorum abeſſe, vel aliquam præbendam vaccare contigerit, tunc præſentibus nihil accreſcat, vltra ſummam ſuperius cuilibet eorum aſſignatam. Volumus tamen quòd Collegio matris Dei accreſcant abſentiæ collegialium eiuſdem collegij, vſque ad menſem duntaxat quolibet anno, pro mapis, & alijs ad ſeruitium refectorij neceſſarijs. Religioſis vero de obſeruantia in præfato Collegio ſanctorum Petri, & Pauli commorantibus neceſſaria tribuantur, prout per nos diſpoſitum eſt. & inſuper Collegio ſancti Lucæ, vbi principaliter infirmi collegiorum pauperum curari debent, vel alicui capellano, de commorantibus ibidem aut alteri perſonæ, quam Rector deputauerit, tribuantur quolibet menſe pro infirmis curandis duodecim fanecæ tritici, & ſumma pecuniarum ei contingens, habito reſpectu ad tres argenteos per ſingulos dies: ita tamen quòd quando non fuerint infirmi de Collegijs pauperum, recipiantur infirmi de Vniuerſitate, dummodo ſint ſcholares, qui vere realiter, & cum effectu literis incumbant. & ſint adeo pauperes, quòd non habeant, vnde aliter curari poſſint. & per totum tempus, quo prędicti infirmi Collegiales pauperes fuerint in Collegio infirmorum nihil recipiant à ſuo Collegio. Et volumus quòd prędicta ſumma pecuniarum, & frumenti prouideatur neceſſitati eorundem infirmorũ, ita quòd nihil vltra præfatas duodecim fanecas tritici pro quolibet menſe, & tres argenteos pro ſingulis diebus præfatum noſtrum collegiũ eidem collegio præſtare teneatur, & ſi aliquando cõtigerit, nullum vel paucos eſſe in

firmos in præfato Collegio, vel alias aliquid de prædicta ſumma frumenti, & pecuniarum ſuperfuerit reſeruetur per præfatum capellanum, vel perſonam per Rectorem deputandam pro tempore, quo ſint plures infirmi: in quorum medicamentis, & ſuſtentatione expendatur, nec in alium vſum quàm in curandis infirmis poſſit diſtribui: ita videlicet quòd nullo modo recipiantur plures infirmi in Collegio, quàm quibus ſufficiat prædicta ſumma, vel ſuperexcreſcens præcedentis temporis. Statuimus inſuper, quòd præfatum noſtrum collegium principale teneatur etiam vltra prædictam ſummam frumenti, & pecuniarum competenter prouidere eidem collegio infirmorum de ſupellectilibus, & ſtramentis, ac alijs neceſſarijs pro inſtruendis lectis ipſorum infirmorum, quæ ſimiliter tradantur præfato capellano aut perſonæ deputandæ per Rectorem: vt præmiſſum eſt. & prouideat ſimiliter Rector de aliqua perſona idonea, quæ continuo reſideat in præfato Collegio ad ſeruitium infirmorum, & attendat caute circa infirmitates contagioſas, ne alij infirmi ex earum contagione inficiantur. Teneanturque medici regentes cathedras medicinæ noſtri principalis Collegij viſitare, & curare omnes, & ſingulos infirmos huius Collegij ſancti Lucæ, & aliorum collegiorum, per nos erectorum, & quæ in poſterum erigentur: prout in conſtitutione noſtri principalis Collegij diſpoſitum eſt. nec poſsint præfati medici aliquid exigere ab infirmis, nec à collegio pro huiuſmodi viſitatione vltra ſalarium ſuæ cathedræ. Prouideatque Rector vt cum omni diligentia, & ſolicitudine viſitentur præfati infirmi. Præterea volumus, quòd quilibet ex præfatis capellanis, vel perſonis deputandis ad prædictam ſummam pecuniarum, & frumenti recipiendam habeant librum rationum, in quo ſcribere teneantur abſentias collegialium pauperum, & dies in quibus non fuerint infirmi in Collegio infirmorum, & ea quæ à præfato capellano noſtri principalis Collegij recipit pro eiſdem, vt ante quàm pro ſolutione præfati menſis, aliquid recipiat, reddat rationem eidem capellano, tam de his quæ recepit, quàm dierum abſentiæ cuiuſlibet collegialium infirmorum: teneaturque præfatus capellanus noſtri principalis Collegij habere librum rationum, in quo ſcribantur particulariter omnia, quæ à Collegio ſancti Illefonſi ex prædicta cauſa acceperit, & quæ præfatis collegialibus diſtribuerit iuxta formam ſuperius traditam: quam rationem reddere teneatur Rectori, & Conſiliarijs, per duos, vel tres dies, ante quàm pro ſequenti ſolutione aliquid à Collegio recipiat: vt eiſdem Rectori, & Conſiliarijs innoteſcat, quota pars frumenti, & quæ ſumma pecuniarum pro illo menſe præterito præſtanda ſit.

¶De

¶ *De tempore quo ſcholares pauperes in Collegio permanebunt.*

LXXVIII.

STatuimus, & ordinamus, quòd ſcholares pauperes, qui in vniuerſis Collegijs præfatis, & in poſterum erigendis commorabunt, poſsint in eiſdem permanere ſequenti tempore, videlicet, quòd præſentatus, vel electus in collegijs grammaticorum poſsit in eiſdem collegijs per tres annos à tempore ſui ingreſſus, & non vltra commorari. Ita tamen, quòd ſi tempore ſuæ electionis, per aliquod tempus ſtuderit in grammatica extra Collegium, illud tempus computetur omnino in præfato tempore trium annorum, & elapſis præfatis tribus annis, vacet eius præbenda, & poſſit ſe opponere ad præbendam ſummularum, vel ad Collegium Græcorum, & cæteris paribus, præferatur omnibus alijs, qui non fuerint collegiales, & aſſumptus, vel electus ad præbendam, Collegij Græcorum, poſsit in eodem Collegio per duos annos commorari, & nullus admittatur in Collegio Græcorum niſi qui integre, curſum ſuum in grammatica perfecerit. Electus vero ad præbendam ſummuliſtarum, poſsit in eadem commorari, per annum, nam quolibet anno debet fieri ordinariæ electio viginti quatuor ſummuliſtarum, & deinde receptus in ſummuliſtam ſine alia electione poſsit permanere in Logica per alium annum, & in phyſica per alium, & in metaphyſica per alium annum, niſi ex aliqua cauſa de contentis in his noſtris Conſtitutionibus venerit expellendus, vel alias vacet eius præbenda: nam tunc aſſummendus in eiuſdem loco ſit omnino eiuſdem lectionis, & durabit per tempus, per quod alter in cuius locum eligitur, vel præſentatur, erat duraturus, & non amplius: & electio aliter facta ſit nullius momenti, teneanturque huiuſmodi collegiales pauperes Artiſtæ, facere ſuos actus, in temporibus debitis, iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionum ad gradum bacchalariatus, & magiſtrij conſequendum, quos gradus ſimiliter finis temporibus recipere teneantur. Alias ipſo facto, vacet eorum præbenda. Finito vero curſu Artium dictorum Collegialium pauperum, vacet eorum præbenda, & poſsit ſe opponere ad Collegium theologorum, vel medicorum, atque nullus poſsit eligi niſi fuerit ſaltim, licentiatus, in artibus, & cæteris paribus, præferantur præfati Collegiales, & electus ad præbendam medicorum, poſsit in eodem cõmorari, per tres annos, & nõ vltra electus vero ad præbendã theologorũ, poſsit in eodẽ cõmorari per quatuor annos, & nõ vltra. Et tam electus ad præbendam medicorum, quàm theologorum teneantur facere ſuos actus, & legere publice, & vtiliter lecturas ad curſum

curſum ſuæ facultatis requiſitas, ita quòd iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionum procedant in ſuis actibus, & curſibus, & tranſacto tempore, in quo iuxta diſpoſitionem dictam noſtrarum Conſtitutionum poterat facere aliquem actum, vel conſequi gradum, ſi non fecerit actum, vel conſequutus fuerit gradum ipſo facto vacet eius præbenda. Quod etiam in omnibus artiſtis volumus obſeruari. Per hoc tamen non intendimus eos, ad gradum magiſterij in Artibus, aut theologia obligare. Nullus inſuper prædictorum Colligialium pauperum poſſit commorari in ſua præbenda vltra tempus ſuperius per nos prætaxatum. Alias eo ipſo teneatur ad reſtitutionem eorum, quæ receperit poſt tempus præfinitum cum pœna quadrupli, noſtro principali Collegio applicanda. Et niſi Vicerector, & alij exiſtentes in eodem Collegio ſtatim tranſacto tempore, denunciauerint Rectori, vt ei poſſit conſtare qualiter tempus ſuæ præbendæ ſit finitum: Vicerector eo ipſo priuetur ſua portione per menſem, & eadem pœna teneantur niſi denunciauerint aliquem ex Collegialibus pauperum non feciſſe actus, vel curſus ſuos tempore debito, vel aliquid aliud commiſiſſe, propter quod à Collegio venerit expellendus: & vt hæc ſaluberrima ſtatuta, quæ in fauorem ſcholarium pauperum edidimus omnino, & inuiolabiliter obſeruentur, volumus, & ordinamus quòd viſitator noſtri principalis Collegij, teneatur viſitare ſingulis annis tempore ſuæ viſitationis præfata collegia, ſcholarium pauperum, & eorum perſonas tam in capite quàm in membris. Et ſi reperit aliquem ex præfatis collegialibus diſcolum aut in honeſtum, aut inhabilem ad ſtudium, vel ad pinguiorem fortunam perueniſſe, etiam ſi tempore electionis fuiſſet vere pauper, vel aliquid aliud commiſiſſe propter quod iuxta tenorem noſtrarum conſtitutionum venerit expellendus, ſtatim per præfatum viſitatorem expellatur à Collegio, nec poſſit iterum ad præbendam aſſummi: nam ſemel expulſus nolumus quòd iterum eligatur ad aliquam præbendam prædictarum, & inſuper, ſtatuimus, & ordinamus, quòd Rector noſtri principalis Collegij, teneatur quoties viderit expedire, viſitare præfata collegia collegialium pauperum, & expellere quos ex præfatis cauſis repererit expellendos, dummodo, in expulſione per Rectorem facienda conſentiant Conſiliarij noſtri principalis Collegij, & capellanus qui neceſſaria præfatis collegialibus pauperibus diſtribuerit, vel maior pars illorum: præſtito per eos prius iuramento in manibus alicuius capellani noſtri principalis collegij, quòd in præfata expulſione ſeruabunt contenta in his noſtris Conſtitutionibus, & ſe habebunt, omni odio, & affectione poſtpoſita.

¶De

De officio Capellanorum, & eorum ſtipendio.
LXXIX.

Statuimus, & ordinamus, quòd præfatum noſtrum principale collegium teneatur præſtare triginta, & tribus capellanis, quos in collegijs pauperum, & infirmorum, vel extra (vt præmiſſum eſt) commorari decreuimus ſtipendium miſſarum, quas Rector, & Conſiliarij cuilibet capellano per ſingulas hebdomadas viderit diſtribuendas: ita quòd cuilibet capellano non detur vltra ſtipendium quinque miſſarum in qualibet hebdomada, vt ſaltem per duos dies vacantes deuotius celebrationi ſe accomodent, & pro victu, & ſuſtentatione illius diei pro qualibet miſſa tribuatur vnicuique dimidium vnius argentei. Teneaturque capellanus deputatus pro ſolutione collegiorum pauperum ſoluere præfatis capellanis in fine cuiuſlibet menſis, ſtipendium pro numero miſſarum, quas in præfato menſe celebrauerint, necnon habere librum rationum, in quo ſcribantur omnia particulariter, quæ à Collegio ſancti Illefonſi, ex prædicta cauſa ceperit, & quæ præfatis capellanis diſtribuerit, iuxta formam ſuperius traditam, quam rationem reddere teneatur Rectori, & Conſiliarijs per duos, vel tres dies, ante quàm pro ſequenti ſolutione aliquid à Collegio recipiat. Conueniantque præfati triginta, & tres capellani ea hora ad celebrandum in Eccleſia ſancti Illefonſi, qua ſtudio literarum vtilius vacare poſsint. Teneantur etiam, in diebus dominicis, & feſtiuis, qui coluntur à clero, & populo, conuenire ad eccleſiam ſancti Illefonſi, competenti hora ante miſſam maiorem. Et decantare primam, & tertiam, & ſextam, & in eiſdem diebus dominicis, & feſtiuis cantare veſperas cum cæteris capellanis præfati noſtri principalis Collegij. Teneanturque inſuper in diebus feſtiuis, & ſolennioribus, in quibus iuxta Conſtitutiones noſtri principalis collegij, miſſa, & veſpere celebrari debent ad eadem officia conuenire. & inſuper, quoties de mandato Rectoris fuerint requiſiti: volumus etiam, quòd duo ex præfatis capellanis, per eundem Rectorem deputandi, teneantur per ſingulos dies celebrare, vnus in monaſterio Sancti Ioannis de la penitencia, & alter in eccleſia ſanctæ Eliſabeth de las donzellas. Quibus idem ſtipendium, ſicut cæteris, ac ſi in capella ſancti Illefonſi celebrauerint, tribuatur, & vt virtuti, & deuotioni ſcholares pueri aſſueſcant, & in diuinis officijs inſtruantur, præcipimus vt ſcholares Grammatici collegiorum pauperum teneantur hora per Rectorem ſtatuenda conuenire, vt eiſdem capellanis celebrãtibus miniſtrent. Alias arbitrio Rectoris puniantur. Teneanturque inſuper præfati capellani prouidere, vt ſcholares pauperes

peres qui in dictis collegijs commorabuntur, ſtudio literarum inſiſtant, ac honeſte viuant, & vt hora competenti claudantur collegiorum Ianuæ, & circa vtilitatem, & honeſtatem eorum intendant, vt Rectori, & conſiliarijs referrant, quæ viderint referenda. In collegijs vero grammaticorum capellani in eiſdem commorantes ſubiaceant primarijs dictorum collegiorum, ſicut alij portioniſtæ.

¶ *De obedientia Rectori præſtanda, & habitu Collegialium pauperum.*

LXXX.

VOlumus inſuper, & ordinamus, quòd præfati pauperes ſcholares collegiorum tam erectorum quàm in poſterum erigendorum, tempore ſuæ receptionis teneantur præſtare iuramentum fidelitatis, & obedientiæ Rectori, & Conſiliarijs, ac præfato noſtro principali Collegio, iuxta formam iuramenti inferius adnotandam. teneantur etiam incedere honeſtate, & cum habitu ſcholaſtico, ita quòd ſuperior veſtis ſit formæ clericalis, & honeſti coloris, ad arbitrium Rectoris, & Conſiliariorum. nec poſsint exiſtentes in oppido extra Collegium pernoctare nec extra oppidum ſe abſentare abſque licentia Rectoris, alias ipſius arbitrio puniantur. Et inſuper, vt præfata Collegia in perpetuum permaneant, & ne noſtro fraudemur propoſito, quòd eſt pauperibus ſcholaribus ſubuenire, volumus, quòd nec Rector, nec Conſiliarij, nec totum clauſtrum poſsit aliquid ſtatuere, decernere, vel ordinare per viam ſtatuti, vel quouis alio modo, quod tendat, vel tendere poſsit, directe, vel indirecte, in damnum, detrimentum, grauamen, vel diminutionem eorundem Collegiornm, ac cuiuſuis ipſorum: alias eo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Permittimus tamen quòd ad eorum vtilitatem, & ſtudij augmentum, præfati Rector, & Conſiliarij cum maiori parte clauſtri, poſsint aliquid ſtatuere in eorum fauorem: dum tamen his noſtris conſtitutionibus, in aliquo non obuient.

¶ *De forma iuramenti Capellanorum, & ſcholarium pauperum.*

LXXXI.

EGo. N. ad capellaniam, vel præbendam Collegij pauperum admittendus, iuro Deum, & hæc ſancta Dei euangelia, quòd vobis domino. N. Rectori huius almæ vniuerſitatis, ac omnibus mandatis veſtris licitis

licitis,& honeſtis,& veſtrorum ſucceſſorum, quæ conſtitutionibus Reuerendiſsimi in Chriſto patris,& Domini.D. Franciſci Ximenez de Ciſneros ſacro ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Balbinæ preſbyteri Cardinalis Hiſpaniæ Archiepiſcopi Toletani, ipſiuſque collegij vnici fundatoris, non obuient obediens ero:& cum omni fidelitate,& puritate, quantum in me erit præ fatas conſtitutiones,ordinationes,& ſtatuta eiuſdem Reuerendiſsimi Domini inuiolabiliter obſeruabo, & cæteris collegialibus, & ſcholaribus vniuerſis in quantum potero obſeruari faciam. Iura,libertates,exẽptiones,bona,fructus, redditus, & prouẽtus ipſius collegij conſeruabo, ac pro poſſe augere curabo. Procurationem, vel nuncium, aut legationem ſi quando mihi committentur,& quocũq; mittar acceptabo,& officiũ ipſius legationis,nuncij,aut procurationis fideliter exercebo. Literas contrarias, vel in aliquo modo derogantes conſtitutionibus aut intentioni præfati Reuerendiſsimi dñi nunq̃ procurabo,nec per alium procurari faciam. In fauorem meũ,vel cuiuſuis alterius,nec alias,quocunq; modo,abſolutionem vel diſpenſationẽ iuramẽti huiuſmodi aut alicuius partis ipſius petã, nec impetrabo per me,nec per aliũ,& cõceſſa aut impetrata abſolutione aut diſpenſatione non vtar. Secreta collegij,& alia quæcunq; nociua collegio, vel bonis ipſius aut perſonis,honori, & vtilitati eiuſdẽ nulli pandã,nec aliquo modo reuelabo,& quãdiu permãſero in collegio,& ẽtiã poſtq̃ ab eo exiero. Sẽper ero in fauorẽ,&auxiliũ ipſius,& cõtra ipſum & eius perſonas, nunq̃ pręſtabo auxiliũ,conſiliũ,vel fauorẽ. Et ante receſſum meũ ab eodẽ ſecundũ ſtatuta eiuſdẽ Reuerendiſsimi dñi omniũ bonorũ,aut pecuniarũ, vel quarũcũq; rerũ mihi cõmiſſarũ,omni fraude ceſſante rationẽ reddam: ac debitorũ, ſi quę in collegio eodẽ contraxero,plene, debite, & integre ſatisfaciã.Deniq; collegij,& vniuerſitatis ac oppidi ipſius dignitatẽ,honorẽ,fauorẽ, vtilitatẽ, ac proſperitatẽ pro viribus meis,in quẽcunq; ſtatũ venero, & cuiuſcũq; cõditionis fuero,defendã,& toto tẽpore vitæ meæ procurabo. Sic me Deus adiuuet,& hæc ſancta Dei euangelia.

¶In quorum fidem, præfatas conſtitutiones manu noſtra ſubſcriptas, noſtroq; ſigillo munitas per infra ſcriptum noſtrum ſecretariũ, in noſtra præſentia præcipimus publicari.

LXXXII.

ACta fuerunt hæc, & ſolenniter publicata, vniuerſis, & ſingulis Rectori, Regentibus, Cathedraticis, Lectoribus, Capellanis, & Collegialibus, ac multis alijs Doctoribus, Magiſtris, Licentiatis, Bacchalarijs,

&

& ſcholaribus eiusſdem collegij, & vniuerſitatis in capella ſancti Illefonſi præfati collegij de Alcala, præſente vniuerſo clero, & maxima parte populi eiuſdem oppidi. anno à natiuitate domini Milleſimo Quingéteſimo tertiodecimo, menſis vero Martij die vigeſima tertia. Aſsiſtente præfato Illuſtriſsimo, & reuerendiſsimo Domino, & præſentibus ibidem, reuerẽdo in Chriſto Patre dño Fratre Franciſco ruiz Epiſcopo Ciuitateñ, & Reuerendo domino Carolo de Mendoça Decano, & domino Ioanne de Frias in decretis licentiato, & Ioanne Martino de Cardeña in artibus magiſtro, & canonicis Toletañ. & Didaco Lupo de Mendoça Laico in cola huius oppidi de Alcala, eiuſdem Reuerendiſsimi domini familiaribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

F. Cardinalis Sanctæ Balbinæ *Commiſſarius Apoſtolicus.*
Archiepiſcopus Toletañ.

Compluti
Ex officina Andreæ ab Angulo. Anno
à natiuitate Domini.
1560.